R. BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
A
50
NAPOLI

Racc. Villarosa A. 50

1. 56

HIRPINI POETÆ
PHILIPPI DE MARTINO.

IN GERMANUM

PENTHECATOSTICHON.

NEAPOLI MDCCLXXXIX.
Ex Typographia Simoniana
Cum publica venia.

MARCHIONI

JOANNI BAPTISTÆ ROTUNDO

S. D. P. H.

OPiparas, imo Pontificales ad dapes Paraſitum, ad choreas apulo phalangio, ſi verum quod de eo fertur, ictum invitas, quum ad Italiæ, Neapolis præſertim decus vendicandum, tuendumque tuis litteris incitas adverſus Germanum quemdam Planum male feriatum; unde libentiſſimo animo tibi morem gerens Provinciam mihi demandatam ſuſcipio & juſſa capeſſo. Inficeto ille libello Lypſiæ edito, ſummam per injuriam, manifeſtiſſimis mendaciis effutit; litteras omnes heic, poeſim præſertim, exſoleſcere, Nauticam negligi, Aſtronomiam, ceteraſque Matheſeos partes pene incognitas; addit, venena heic impune parari, & a Pharmacopola palam vendi, memorans gibboſam anum veneficam, vulgo *dell' acqua tufania*, principio hujus ſeculi in Tulliano mortuam: Sicariorum, ſub certo Duce, cohortem paratam pretio convento miſeros cives obtruncare: Nos Muſicæ adeo addictos, ut pueros

frequenter eviremus, quo magis vocis melodia nos oblectet; tacet tamen, quod alter impudentiſſime objecit, in foro proſtare officinam inſcriptam uncialibus litteris: *Heic pueris execantur teſtes*. Ad hæc ſtomachatus tantum: at excandui, quum impurum os ponere in cælum, & Divos inceſſere auſum legi; ludibrio enim videtur habere prodigium liqueſcentis ſanguinis poſt quindecim ſecula ter quolibet anno præſentiſſimi Tutelaris noſtri D. Januarii: Quum rem traducens ait, ad Regem in urbe degentem Curſorem Tabellarium, abſentem Hemerodromum mitti, quo certior fiat, prodigium poſt tot momenta ſecutum; unde ſuſpicor Germanum Luteri, aut Calvini, Sanctorum interceſſionem negantium, ſectæ addictum, illos deſignando, Lutherum nempe anagrammate *Ter matris vulnus*, & Calvinum *ani ulcus* cui ænigmatice exprobro Pæderaſtiam, ob quam lilio ſcapulæ inuſtæ, ut legitur in Leſſio; hinc calamun exacui, acerrimo felleoque uſus ſtilo, virulentiora minatus niſi ad bonam frugem redeat.

Quo miſer irati carptim laniatus aduncis
Unguibus æluri muſculus aufugiet?

Im-

Impudentis os clauſi curſim referens Auctores hujus ævi, vivos pleroſque, in qualibet ſcientia, Poeſi potiſſimum, in qua fuſior ſum, utpote in propria arte. Spero ſpartam pro viribus, quas tenuiſſimas in me ſentio, exornaſſe; ſi operam meam probaveris, jam illius pretium acceptum fero.

Poematium notis illuſtrare viſum, & quidem prolixis, ut acceſſio multo ſit major thylaco, ut Rhedius in ſuo Dithyrambo, Agatopiſtus in ſuis elogiis; privata enim auctorum hiſtoria Noſtris, multo magis Alienigenis incognita. Provinciam hanc capeſſet Paſchalis Guida, idem ille qui notas addidit ad traductionem Gnidii Templi humanioribus litteris apprime imbutus, mihiq. amicitiæ fœdere conjunctiſſimus, in gratiam præſertim Germani, quem amuſum ac Bœotum autumo,

Vervecum in patria, craſſoq. ſub
aere natum.

Titulus Poematio eſto Penthecatoſtichon (hanc novam vocem cudere libuit, ut aliquo modo referre poſſet thaumaturgam *tetragrammaton* abigendo a miſeris energumenis Cacodæmone) ob numerum quingentorum verſuum, quos ſi

excedet (nam creſcit paſſim opus) numerus rotundus ſit mihi ſacra anchora, quæ conciliat multos hiſtoricos, imo ipſa S. B., quorum verſio græca etiam dicitur *Septuaginta*, quum revera fuerit ſeptuaginta duorum, qui clauſi ſeorſim totidem in cellulis eam adornarunt, ni ſit Ariſteæ fabella. Idem quoque rotundus numerus uſurpatus in dictione *Centumvirale judicium*, quod conſtabat centum & quinque judicibus, tribus ex qualibet Tribu, quæ erant triginta quinque, extractis,

Judicibus centum conſtans & quinque, Latini
Judicium centum nomine virale vocant?

Kal. Sext. 1789.

Vale, meque tibi addictiſſimum, tuique obſervantiſſimum, quod facis, amare perge.

IN
MALE FERIATUM GERMANUM.

Arnum Danubius probris impune laceſſet,
Sebethum celebrem conjuge Parthenope,
Sebethum, qui pauper aqua, ſed carmine dives,
Supra alios celſum tollit ad aſtra caput!
Eridanum Regem fluviorum; deniq. flavum
Orbis jam dominum Tibrida Danubius!
Illorum ad ripas centum modulantur olores
Concentum, dulci tempus in omne ſono;
Quos inter, nec diſpliceat ſymphonia diſcors,
Obſtrepera gelidi voce Caloris anas. (1)
Amuſam vocet Italiam Germania! tantum
Quis facinus credat? Parthenopemq. rudem!
Tot Vates, tantoſque irritans laudibus effrons
Germanus culta detrahat Auſoniæ?
Provocet Alcidem Pygmæus; vilis Achillem
Therſites campo; Pallada ſuſq. luto?
Parrhaſias, ait, heic lauros areſcere; paucas,
Turbataſq. ſacri currere fontis aquas.
Obruat inſanum par Vatum ex tempore, denſa (2)
Qui lapidum dignus grandine, carminibus.
Nonne Metaſtaſius rivos deduxit in Iſtrum? (3)
Hunc Iſtri condit ripa, caletq. cinis.

 Quem

Quem juvenem ad Tibrim docuit Gravina poeſim, (4)
Gravinæ notum nomen in Orbe ſatis.
Legatus nuper, præclaro nomine, Wilſek (5)
De noſtra ſentit non ita Parthenope.
Hoc illuſtravit Caudinas Auſpice Furcas (6)
Europa noti ſat Danielis opus.
Non ita Guthlerius, caræ Sirenis ocellus, (7)
Qui cycnos paſcunt, Pieridaſq. fovent.
Non ita noſtrâ bono Juno Sirenis ab aſtris (8)
Delapſa, Heroum filia, ſponſa, nurus:
Heroum quoque mater erit, fauſtumq. ſit omen
Quod Juvenum Princeps Herculis Urbe ſatus.
Hetruſcis faciles hæc præbet verſibus aures,
Aſt Erato mulcet Parthenopea magis.
Sebethum Thameſi qui præfert doctus Hamilton (9)
Ad Cœli tollit ſidera Parthenopem.
Surdo ſuum peragat ſed Cœlo Cynthia curſum,
Dum rabidus latrat, nocte ſilente, canis.
Garriat inſulſo maleſanus vappa libello,
Ebrius heic Veſbi, Pauſilypiq. mero: (10)
Nam Patriæ potus zythum; non Pallas olivam
Germanis, vitem ſevit Iachus. Abi,
Inque malam, veſane, crucem; præſcripta procaci,
Pœna quidem linguæ, quæ nebulonis erit.
Te caput inſanum, te caſſa cucurbita, mica
Abſq. ſalis, leni voce Thalia monet
Imparibus numeris, quæ carmina blanda; priuſquam
Archilochi pleno promat amara penu.

Ad

Ad ſanam redeas ut mentem, & lumine veri
Afflatus falſum te fateare palam.
Tranſtulit huc ſedem Phœbus cum Pallade; poſtquam
Od-yſium ſubiit Græcia victa jugum. (11)
Pieridum manet heic Chorus, æternumq. manebit,
Germaniſq. fatis Mars, & Jacchus erunt.
Mars nobis in vos fauſto quoq. Numine favit (12)
Non ſemel: at clades illa tacenda Vari.
Ævi hujus, vivos imo pleroſq. Poetas
Italiæ claros enumerare juvet.
BEllica percurras, Halieutica, Nautica, magnam, (13)
Sint juvenis quamvis carmina, Saberidem.
Quam Frater, vates etiam ſupplevit, Acygni (14)
Sciſſum annum in quatuor tempora Parthenii;
Hic duce Sincero ſylvis ad littora traxit
Bucolico faciles carmine Pierides.
Littoribus, ſylvis Cordara ad Caſtra redegit, (15)
Inter & heroas ſtridet avena tubas.
Ammerices de glande, novo cocolatis & uſu, (16)
Quæ bene grata ſeni potio, Stroza canit;
Pindarico cui longa lacinia juncta volatu,
Variolas æquans, Syphilidiſq. luem.
Quis Savaſtani Botanica florida (17), *ſanis*
Balneolis Quincti neſciat Inarimen? (18)
Mulceat oblongas Juvenati barbitos aures, (19)
Cujus adhuc prælis carmina cuſa calent.

Auſonio ſermone loqui divinus Homerus, (20)
Tibia nec diſpar, gaudet ab Elyſiis.
Veſter at Elias interſtrepit anſer olores; (21)
Ne noſtris conſer; Mævius alter erit.
Ille etiam Patria dialecto, Auctore Capaſſo (22),
Scurrili legitur ridiculoque ſtilo.
Empyreum, luſtralem ignem, Styga vertit Aquinas; (23)
Sexcentis impar ſuppleo carminibus.
Nec dedignatur Lucretius ipſe duobus (24)
Cedere præſtanti Vatibus ingenio.
Perlege Monteſquî curſim translata latinis (25)
Carminibus Veneri Templa dicata Gnidi:
Per totam at lentus quum ſola Thalia vagatur
Europam, Gallus Dux neq. monſtrat iter.
Aſſuitur, veluti mantiſſa, Cupido, reciſa
Cui pennæ audaci, ſacrilegaq. manu.
Florida Turdeis quamprimum ad præla volabit,
Feſtivoque leges carmina ſcripta ſtilo.(26)
Auſonia, quamvis ſine rhythmo, præſtat hetruſcis (27)
Limpida Clementis verſio carminibus.
Verſibus octonis, rhythmo reſonante, diſerti (28)
Nec Jacobelli nupera compta minus.
Delicias bimaris, piſces, conchaſq. Tarenti, (29)
Quas Thuſco vertit carmine Carducius.
Angelii Plautum Thuſco ſermone loquentem, (30)

Quæ

Quæ veneris, flores, gratia, quique ſales!
Edidit Angelius grato quoq: corde Magiſtri
Ad Tibrim nuper carmina culta ſtilo.
Chiaram, Albergatum, magnum Goldona, theatris (31)
Materies noſtris queis ſatis ampla datur:
Verum, mordaci licet irridente Capaſſo, (32)
Feſtivis ſalibus præſtat Amenta tribus.
His Plautum vinci, longis & paſſibus Afrum,
His & Ariſtophanem nemo negare poteſt.
At ſuperat cunctos auctor Cyrillus & actor
In ſcena, dubio judice, præſtet utro. (33)
Delphini tragicos exin venerare cothurnos, (34)
Cui feſto plaudunt ampla Theatra ſono.
Hunc magis exornat, quam purpura, laurea, ſemper
Laurea, dum blattis roditur illa, viret.
Delphino ob vilem certabit at Annibal hircum, (35)
Europa notus ſat Witicone ſuo.
Judice Panzutus me vincit utroſq.; Pelaſgis (36)
Nam propius, Seneca curat abeſſe procul.
Italici demum gemmis, auroq. Theatri (37)
Penſandam lege-ſis ſedulus hiſtoriam.
Antea Parrini breve ſed percurre theatrum (38),
Fortunæ luſus, carmina felle lita.
Non Mergellinæ, Proteus, Galleis; ad Ætnam
Nec Polyphameis nota canora ſuam (39)?

Prætercam cultam nec Paulineida laſſus;
Paulinoq. gravi carmina ſcripta ſtilo. (40)
Vatem ambo Vates facundo carmine laudant,
Largius epota Bellerophontis aqua.
Non conſultorum Reſpublica cognita Jani (41)?
Orator noſtro maximus ille foro:
Huic facili verſus vena dictabat Apollo,
Pulſabant reſonam Pieridesq. chelym.
In noſtram nec qui traducto Socrate ſcenam, (42)
Texit, bis ſeptem verſibus, elogia.
Eximius virtute Aſcetas Ruggilus inter;
Xaverius noſtri gloria magna fori. (43)
Carmina non Pindi, Libani ſed culmine pangunt,
Annoſa Libani carmina digna cedro.
Non Phœbi falſum Numen, ſed Regius afflat
Divina Pſaltes, dulciſonaq. chely.
Non raro fidibus reſonent diſcordibus etſi,
Omne quidem punctum par at uterque tulit.
Cæſaris Eugenius gelidum ſat notus ad Iſtrum, (44)
Vatis, & Herois fama perennis erit.
Culeus haud notus, nec binis carmen opellis; (45)
Muſæi doctis verſio Thuſca notis. (46)
Eridani dulcis lenes Arioſtus ad oras (47)
Auſonia geſtit jam reſonare tuba.
Nec dedignatur mantiſſam; nempe Moderum (48)
Præcinctum Regnis tempora memnoniis.
Sermones binis dictavit Horatius ipſe; (49)
At mores formant qui mage, luce carent.

Ve-

Veſtinus Scythicam dum laudat Pallada Vates, (50)
Andina reſonat, mæoniaq. tuba.
Anxani celebres Barbatum, & Jureperitum
Verſibus hetruſcis cerne micare duos (51).
Floriferis paſſim dum colligit undique pratis
Aurea mella favis ſedula condit Apis. (52)
Non doctis de jure libris mea Muſa Guaranum, (53)
Inſcriptis ſaxis, carminibuſq. refert.
Nam Medicis non heic, Conſultis jureque, quamvis
Ars utraq. in noſtra floreat Urbe, locus.
Feſtivum lege-ſis Trajanum; Delphica legum (54)
Haudquaquam recipit Bibliotheca libros.
Hetruſca multis lingua, latiaq. libellis (55)
Huic comes arguta mente Faſanus erit.
Ducit ab Ægypto tandem qui nobile nomen (56)
Laſſato Vati commemorare libet.
Afflatus dio numeroſus Horatius æſtro (57)
Carminibus thuſcis publica jura docet.
Virtutum patris Mundus ſucceſſor & heres (58),
Plautinis condit carmina thuſca jocis;
Exornatque loquens pictura, tacenſque poeſis,
Ceu calamo clarum, peniculoque Roſam.
Parthenopes dialecto, & honos erit huic quoque, verſum (59)
Mormilis Phædrum nec reticere velim.
Hac etiam Plebis dialecto geſta Tribuni
Herois Cocles cantat Oliva ſui (60).

Pa-

*Paſtorum reſonant cantu, ſub monte Capra-
rum,*
Littora Vulturni lene fluentis adhuc (61).
Leucade detectis Sapphus qui verſibus inter
Ad Calpen belli tympana dulce canit. (62)
*Urbi Præfectus, Belfortis, Turrius, ag-
men* (63)
Qui claudant, equites ceu Colophonis erunt.
*Artis qui medicæ, Pindo qui carminis Au-
ctor*
Adſit Belforti Phœbus, opemq. ferat:
Aurataq: gerens Panaceam pyxide, gratum
Nepenthes Veneris munus, Hygia polo.
Namq. Apoplexiæ correptus fulmine bruto;
At ſanus lingua, mente, manuq. jacet.
Sex ubi abhinc ſeclis eſt Itala nata Poeſis,
Enumerat Vates Trinacris ora ſuos.
*Sit Rabus arguto Coryphæus carmine Va-
tum*, (64)
Hyblæ quique ſuæ nomina melle trahit.
*Quid Popem memoras? tibi Campanilla
legendus* (65):
*Centum, tres hujus furfuris, inſtar e-
runt.*
Enumerantque ſuos Romanis, aëre craſſo,
Exulibus nocua Corſica, Sardinia (66).
*Myrmidonum veluti Vatum quæ copia! ſa-
cro*
Monte Quirinali conſpice myriadas.
Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque
centum,
Ferrea vox, *omnes enumerare queàm.*
Ampla Poetarum ſemper ſeges ubere fauſtis
Italiæ Muſis luxuriatur agro.
At

At Muratoris perfecta legenda Poeſis (67),
Quo niteat, diſces, nos apud, illa gradu.
Altera quæ Sappho, nec te, Fonſeca, ſilebo, (68)
Quam decimam dixit Græcia Pieridum;
Quæ concepta Tagi, ſed Tibridis orta, virenti
Littore Sebethi deinde jugata Viro.
De Patria certant ſeptem Urbes dulcis Homeri;
Poſt aliquot de te ſecula tres fluvii.
Hinc Ardinghelle ex Aquila (69); *dat Homuncio Senis* (70)
Nobile cui nomen claudat at inde latus.
Matronæ comites Arechia (71), *Maſſaque* (72) *pulſent*
Auratam, dulci voce canente, lyram.
Tarpeja nuper cui rupe, Corilla ſequatur (73),
Cum rixis cinxit laurea docta caput.
Non fuſum hic ſolum, calamum quoque femina ſtringit,
Aoniumq. colit nec ſine laude jugum.
Vos, Roſa queis nomen, fratrum par Nobile (74), *teq.*
Prætermeam clarum qui Sue nomen habes? (75)
Nunc flores, dabitis mox fructus: allicit ulnis
Expanſis jam vos non procul alma Themis.
Avocat ingenio præſtantes illa Camænis,
Præmia promittens, munia, divitias.
Nil aliud ſterili ſperes Helicone, corymbos
Et lauros præter, ſpeſq. nec ulla ſtipis.

E Me-

E Mediceorum prognatus ſanguine ; quantum
His docta debent litteræ in Italia (76)*!*
Gemmarum qui flos , Hyacinthus , gemmaq. florum ,
Aurato nomen quique Dracone trahit (77)*:*
Gloria Siponti , & Daunorum Tontulus (78) *, almo*
Quos fovet a pueris Pallas amica ſinu ,
Abjecta cithara , Muſis , Phæboq. relictis ,
Jus dicunt inter ſex quater ecce Viros .
Et tuſcba celeber Pallas , latiaque Camœna (79) *.*
Jus dixit , nuper raptus ad Elyſium .
Sic Pater & Natus Salomonis nomine digni (80)
Jus dicunt Phæbi numine poſthabito .
Patritii Juvenes Sirenis in Urbe (81)*, Panormi*
En Tetamus fantur jam tria verba Fora (82) *.*
Te quoque , Marſe , patris ſed juſſu urgente retraxit (83)
Ad ſua Parnaſſi e culmine ſigna Themis.
Invitum quis te libycus dein ventus ad Aulæ
Abripuit læva ſorte miniſterium ?
Dixiſſes noſtra magna cum laude curuli
Sede toga ornatus jam tria verba foro .
Et conterraneos Garganum e culmine Pindi (84)*,*
Ricciardumq. juvat dicta caſtra ſequi (85)*.*
Unus ab arcanis Siculi Proregis , & alter
Facundo Pericli par tonat ore foro.
Præ-

Præcocis ingenii Granitus transfuga Muſis (86)
Ad rapidum pergit, Patre jubente, forum.
Remigio, ad puppim vento ſed flante, laborum
Ad Regni Rex hos munia prima vehet.
Trasfuga Marcellus Pindo æque ad roſtra, propinquo (87)
Aſt ebori vitæ ſtamina Parca ſecat.
Dum vivam, ſpirem, incuſans fata impia, ſacrum
Ob veteris flebo fœdus amicitiæ.
Aſcræi nemoris lauros, Helicona bicornem,
Pegaſei tempus linquere fontis aquam.
Ad Sophiæ tandem ſuffultum mille columnis
Prærupti Templum culmine perge jugi.
Quæ Vittatorum venerabilis undiq. primo
Turba Sacerdotum limine ſacra facit!
En Vicum ante alios, cui faſces ipſe Leybnithz (88)
Submittit, nullo per loca trita ſolo
Pergentem; ſequitur patriæ non degener artis,
Par animo Natus, moribus, ingenio.
Sectatur longe per devia Sylla (89), *modeſta*
Indole, ſed paucis notus, humiq. jacet.
Aſt Alienigenis Paganus potior (90), *atras*
Accenſa tenebras diſcutit ante face.
Mazochium agnoſco polyglottum præpete penna: (91)
Trans Alpes horum, trans mare fama volat:

Par

Par Patruo foret ingenio, famaq. Philippus (92);
Ad ſeſe dudum traxit at alma Themis;
Quinqueviros inter, lateri qui Regis adhærent,
Rem vaſta Ærarj quam bene mente regit!
Ingenio ſectatur Alumnus compare (93), *fauſta*
Hic noſtri Chiron navus Achillis ave eſt.
Lævæ Aquilæ Præſul graditur (94): *non curat at hæres*
Territus expenſis edere ſcripta manu.
Addictas Idus, Nonas, feſtiſq. Calendas
Parthenope doctis ditat & ille notis.
Templi adytis ſolus meditatur, rodit, & ungues (95)
Ore columnato, ſcalpit & ungue caput,
Debita jamdudum cui puri ſanguine veſtis
Agni, non tyrio murice tincta tegit,
Tarpejam firmis humeris qui ſuſtinet arcem,
Atlantis nec ſub pondere genua labant:
Exacuens calamum conſtanti jura tuetur
Pectore romani Borgia Pontificis.
En lateri cujus Calamaria theca pyropis (96)
Dependet ſplendens Græcus, & Auſonius.
Ille manu Juvenem ducit, primoſq. colonos
Late Phœnices hac regione locat (97).
En Beneventanos Simeonem ſanguine junctum (98),
Et Vitam: primis ſedibus ambo ſedent.
En Zacariam viridi, crudaq. ſenecta, (99)
Vis eadem ingenii præpetis urget adhuc.
Abreptum quem mente vides, hunc Anglia nobis

In-

Invidet, & Jani nomen ab Urbe trahit.
(100)
Et Rhegina inter Moriſanum marmora (101),
tantum
Deflevit nuper Græcia Magna virum.
Inſcriptis numero paſſus poſt mille columnis
Appia Pratilli non tibi trita via eſt?
(102)
Legislatorem Melites ex urbe Butunti (103)
Corporis en, animæ dimidiumq. meæ.
Hui periit! lacrymas lapſa trieteride nondum
Siccavi, nondum Pallas, & alma Themis.
Hinc & Atheneum informat Melitenſe Malarbus (104),
Et libycos mores, barbariemque fugat.
At piger Annibalis Vitam edat deniq. Maurus (105),
Pœnorum ſciri quæ politia queat.
Et duce Caſtrorum pateat metatio Trutta, (106)
Campanos Afer quum populatus agros.
Pluribus illuſtrem liceat memorare libellis,
Cui nomen, cui lac ipſa Minerva dedit.
(107)
Hanc Agatopiſtum rurſus prodire licebit (108)
In Scenam; centum hic notus in Orbe libris.
Auſonio vel qui traduxit carmine divæ (109)
Ad gratam Cypri Templa dicata Gnidum;

Ne

Ne credas illos verſari monte bicorni,
Et ſacro tantum fonte levare ſitim.
Moribus apparet mellitis Scipio longe; (110)
Immo Chriſtofori tres Avus, atque Pater.
Incumbens libris Theodatus ſudat, & alget, (111)
Hinc Helleniſtam dum probat Androtheum.
Aſſecla Platonis dulci ſermone reformat,
Ut civis mores Auria, ne lateat (112).
Mox & Ayroldum Legati munere Regno (113)
Fungentem Siculo compta Thalia refer;
Nobile par imo fratrum Trinacria jactat;
Hic lituo clarus, clarus & ille toga.
Nec lituo tantum, calamo quoque præſtat, & ævo
Auguſti ſcriptam credimus hiſtoriam.
Hic Arabum obſcuras tenebris res eruit, illum
Clarum æque dudum ſors maleſana premit.
Et caput attollens cum Noia Sangrius (114) *ambo*
Cum duro doctam Pallada Marte colunt.
Angeriiq. nepos, Italis Monteſquius alter (115),
Heu! rapuit tantum trux Libitina Virum.
Raptum immaturo Sebethus funere nuper
Flens lacrymis auctas in mare volvit aquas.
Illius, ad Lunam fruſtra latrante Lyciſca,
Trans mare, trans Alpes fama perennis erit.
Penſat Aletinus damnum Palmerius (116); *inter*
Quinqueviros, cælo ceu cynoſura, micat

Ab-

Abjecto ſagulo: Nunc Directore Foqueto
Parthenopes, Fiſci res, Populiq. regit:
Felices Populos ut reddat, firma libello
Fundamenta quidem Rege probante jacit.
Tranquillos homines ſola virtute Leonis (117)
Helvetium contra docta Thalia probat.
Miſeno Prochyte quondam disjuncta litantem (118)
Cum primis civem gaudet habere ſuum.
Hos omnes, procul hinc turpis palpatio, noſtri
Varrones ſecli dicere jure licet.
Auguſti, Alfonſi ſeclo, regnante beatæ
Fernando Patriæ Patre, quis invideat?
Fernandi hærentes lateri, clavumq. regentes
Tres Mæcenates vera Thalia vocet. (119)
Unus & erexit nitido doctoque libello
Auſpice, in Auctorem ſe quoque, Mercurio.
Quis Pelagi fluctus, ripæ quis poſſit arenas,
Quis ſudo ſtellas enumerare Polo?
Auctores hujus ſolus diſcuſſerat ævi
Luſtrorum fratris cura labore trium.
Queis intemperiis abreptus neſcio, flammis
Scripta manu moriens tradere juſſit anum. (120)
Tiraboſcus adeſt præſto, & mage nuperus Andres, (121)
Et Tonſor doctas callet Ephemeridas,
Quæ reſonant Italis Auctoribus undiq. Poſt hæc
Perfricta quamvis hiſcere fronte queas?

Nau-

N*Autica negligitur noſtra, mentiris, in urbe,*
Pyxis ubi inventa eſt, ſecula quinque fluunt?
Flavius æternum vivat, qui natus Amalphis; (122)
Quem penes inventi gloria ſola manet.
Clarus Eques Jani quum nautica diligat Acton (123),
Amphitrite Acton, Oceanoq. ſatus?
Heic etiam liquidum volitare per aëra naves (124)
Mirati, nondum ſecula lapſa duo.
Plebis Ephebeum, vetera ad delubra Minervæ, (125)
Proretas plures miſit ad Oceanum:
At mage Nobilium Sirenis in Urbe coruſcat, (126)
Architalaſſorum quæ Schola jugis erit.
A*Strorum objicitur, ſcelus! ignorantia curſus*
Parthenope: haud urbi hæc invidet Urania. (127)
Omnia conſpicies heic inſtrumenta Matheſis, (128)
Innumeriſq. ſcatet Bibliotheca libris.
Sexcentos hac arte licet memorare peritos (129)
Architam veluti, ſive Syracoſium.
Ipſaq. callet, apri ut callum, Fonſeca Matheſim, (130)
Nec Lauram jactes, Itale Rhene, tuam.
Hetruſci eſt equitans in naſo lunula duplex, (131)
Ingenii inventum: deinde teleſcopium.
In

In Jovis, hoc, quatuor, Saturni quinq;
Planetas (132)
Conſpicies regno: forſitan & Veneris.
POntani florens Academia docta revixit;
(133)
Centum, labuntur jam duo luſtra, Virum.
Jam peperit primum, pragnanti ventre, libellum:
Anglia liventi, Gallia corde legent. (134)
Herculeæ ter quinque Viros quis neſciat
Urbis, (135)
Qui laſſant centum præla, typoſq. libris?
Poſtq. duo Rudiis Academia ſecla, tricordis (136)
Ennj quæ Patris patria, floret adhuc.
Trojano hoc prodivit equo Palmerius, & qui
Monteſquio forti pectore congreditur. (137)
Ad Crathim quoque floret adhuc; hæc prima
tyranni (138)
Dempſit Ariſtotelis libera colla juga.
Zicarus auſoniis, hetruſcis Spiritus (139),
almo
Aſſidui præſto ſint tibi monte vades.
Clementis magno quum Quinquennalia plauſu
(140)
Noſtra celebraſſet, jam tria luſtra ſilet.
Florentes ſacris per totum denique Regnum
Addat Ephebeis undique Calliope.
Hæc inter, docto ſed Præceptore Roſino, (141)
Attollat celſum Parthenopea caput.
Quis reliquas paſſim ſparſas memorare per
Urbem
Privatis domibus, Cœnobiiſq. queat?

Quid

QUid blateras, Sirenis in Urbe venenâ pa-
rari,
Quæ parvo vendit Pharmacopola palam?
Optima de ancipiti proſtant heic jura vene-
no, (142)
Quæ tibi nulla quidem noſcere cura fuit.
Parthenope, fateor, gibboſa venefica nuper
Famoſa, ut Romæ Galla Locuſta fuit;
Infamem, nigramque notam, quæ digna Ne-
ronis
Tempore, Parthenope turpis inurat anus?
HIc homicidarum, proprio ſub Principe, tur-
mam,
Qui pretio cives nocte, dieque necent?
Vatum fabellas, ægrorum inſomnia vendis,
Quæ pueris, dum net, garrula narrat a-
nus.
Hauſiſti has nugas tonſtrinis, aut ubi to-
ſtis
Venditur ex Arabum potio nigra fabis.
Montanum transferre ſenem Sirenis in Ur-
bem, (143)
Ex Aſiæ ſtulto ſic regione libet.
Alter qui Salomon, Marcus, Titus, alter
& Argus
Fernandum dices crimina tanta pati?
MUſica delectat, fateor, nos; nobilis hæc
ars
Evecta ad ſummum voce, ſonoq. gradum:
Non ideo pueros exſectis teſtibus ullus
Evirat, ut vocis ſit mage dulce melos.
Eunuchi ob morbum, Thlibii, multiq. ſpa-
dones;
Ob vocem pauci, ſi numerare velis;
Queis

Queis avidi patres ob quæſtum, crimine teſtes,
Romana, & (144) patria lege vetante, ſecant.
Mos, hominum damno, Auroræ dominetur in amplis,
Eunuchi ſervent ut Gynecæa, plagis.

Impura patiar lingua te inceſſere Divos,
Quæ foret ignita forcipe digna trahi,
Carnificiſq. manu, divino a Dante rubentis (145)
Suffecta ſiſeris, quæ magis apta Plano
Cive ſuo, ut credit, Patrono ſplendida Siren (146)
Gaudet, & ad Templum lipſana ſacra colit:
In phialis ruber, & fervens fluit (Advena, Civis
Teſtentur) poſt ter ſecula quinque, cruor.
Vicini tutatur ab ignibus ille Veſevi
Parthenopem, bello, peſte, malaque fame.
Et Tutelares jactat Germania Divos;
Ipſa Averruncos cæca Superſtitio; (147)
Urbium & agnoſcit paſſim, Genioſque locorum,
Ignotoque Deo cum prece thura cremat.
Indiga namque hominum natura, & preſſa malorum
Mole, Deum, voto ſupplice, poſcit opem.
Ter Matris vulnus *ſed te afficit*, ulcus *an* ani (148)?
Lilia ſi ſcapulis conſtat inuſta, tace.

B *His*

His monito tandem turpis palinodia Pindi,
Pendente ad collum fune, canenda jugo:
Ni facias, rabidos Scazontes, acer Jambos,
Quæ, caveas, vatum tela timenda, paro.
Bupalus ante oculos verſetur, & ipſe Lycambes, (149)
Dum fracta tigno pendet uterque gula.
Timonis cæſa, quocunq. haud ficus in horto, (150)
Intorta laqueus cannabe nec deerit.

ASt Armatorum delectus ut ante paretur,
Prodeat in ſcenam Momus, (151) *& arma gerat.*
Arma Lycambeo tingat quæ ſanguine, Neſſi (152)
Ni potius, ſtygio duret at ante lacu.
Pontifices, Reges, & ſacro murice tectos;
Hic Superos, ipſum terret ad aſtra Jovem.
Ebrius inſidens tardo Silenus aſello,
Et Satyriſcorum tota petulca cohors
Sint comites Momo, Juvenalis, Flaccus, & Aulus, (153)
Mordaci Turnus, Luciliuſque ſtylo;
Et comitata ſuo Sulpicia pulchra Caleno,
Quæ pelta pectus munit Amazonia.
Bilbile longinqua Marcus, Marci Anglus Owenus (154)
Simia: ſed duros ſuſte Catullus agat.

Ar-

Archilochus dextram rabidis armatus Jambis,
Et longe, claudo qui pede, tela jacit. (155)
E Mergellinæ Sincerus littore (156), *de quo*
Pontani votum fellis habere minus.
Ambo Sectani; Bonamicum haud paſſibus æquis, (157)
Longe at, anhelanti pectore, cerne ſequi.
Inflatus venas, non ſanguine, felle Picinnus: (158)
Præſul Atellanus gente Caracciolea. (159)
Feſtivo ſale Laſcha jocans, Menſinius, Abas, (160)
Et Maleventano Francus amarus agro.
Bella canens Situlæ, rubra ad tentoria, raptæ, (161)
Et Roſa qui calamo, peniculoque valet.
Aſt agmen claudat celebrans Heroa furentem (162)
Eridani diis accola carminibus.
Lecta Poetarum Thuſcorum turma ſequatur,
Funda, arcu jaciens ſpicula, ſaxa procul.
Nec te prætercam, cui .. nomen & .. (163(
Quum dictis abſit gratia, mica ſalis,
Vulgares inter lixas, vileſque calones,
Scurra quidem caſtris, vel paraſitus eris.
Regalem cieam Pſaltem (164)? *ſed ſacra profanis*
Fas miſcere mihi, relligioque vetant.
Qui miſerum thuſco pollens idiomate ſtravit
Gargilium, pulſet tympana Menagius (165).

 Acer

Acer Aretinus calamo, linguaque Tribunus ; (166)
Centurio cynico dente Capaſſus erit. (167)
Signifer haud Aquilam, cornu, paloq. manipl um
Foeni, aut dentatum Bernia geſtet aprum (168).
Cotibus & geticis turpem Pelignus in Ibin
Exacuens Vates ſpicula Quæſtor erit (169).
Accenſa Phlegethonte picis face ſigna ſequatur
Eumenidum ſufflans peſſima Tiſiphone.
Dux ego, Legatos, belli duo fulmina, vectos
Tibride, Paſquinum, Morphoriumque legam (170).
Quid Macetum memoras, invicto Marte, phalangem?
Væ tibi ſi belli triſtia ſigna canent;
Nam pueris paſſim per compita fabula fies;
Poſtica & duro ſcommate ſanna pete.
Ibis & a tergo te pinſat, formet aſelli
Mobilis oblongas vel manus auriculas;
Inde coaxantem, longe ſtagnantibus undis,
Diſcerpat ranam dira Caloris anas.

AMI-

AMICO LECTORI
PASCHALIS GUIDA.

HIrpinum Poetam quid cauſſæ adegerit, uti ſuperius Poemation, numeris ſane omnibus abſolutum, ſuccisivis horis elucubraret, habes in ejus epiſtola initiali. At ſi quod ſentiam, libere fateri integrum ſit, haud ſcio, majoremne ſibi invidiam apud innominatos conflarit, an gratiam apud laudatos promeruerit. Non alios Auctor doctiſſimus, quam ſibi aut nomine notos, aut aliquo neceſſitudinis, amicitiæve vinculo devinctos nominandos cenſuit; veritus, ne ſi ad unum omnes Neapolis, totiuſque Italiæ litteratos viros vel in vivis agentes recenſere vellet, improbum ſibi laborem, nimium tibi faſtidium ingenti volumine crearet. Lubenter ergo æqui rerum æſtimatores illi ignoſcent, quod parvo in opuſculo plurimos omni doctrinæ, atque eruditionis genere præſtantiſſimos viros ſilentio præterierit; ſatis ſuperq. eſſe ratus, ſi Germani probra, tanquam e plauſtro,

in nos evomentis libellum, horribilem, ac ſacrum libellum! paucis confutaret. Quod autem me ſæpe flagitavit, uti opuſculum adnotatiunculis, præſertim philologicis illuſtrarem, recuſare haud potui. Quis tanto viro, tam æquam minimamq. rem petenti morem non gereret? Quam igitur tui ergo in Gnidii Templi verſione operam impendi, heic quoque navare haud ægre feram. Quin & ex plurimis paucas, quæ mihi in manus venere, poeticas ejuſdem Auctoris lucubratiunculas haud abs re, ſuo quamque loco ſubtexendas duxi, ut quo gradu heic ſit, floreatq. poeſis, latina præſertim, Germanus noſcat. Ex illis autem & tu oblectationem capies haud mediocrem, & viri quinque ſupra octoginta annos nati fervens præ cæteris vividumque ingenium demirabere. Utinam omnes rei litterarum publicæ bono prælis committere animum induceret! Id vero præter March. Jo. Baptiſtam Rotundum, Virum prudentia, moribus, ingenio præſtantiſſimum, ab eo evincere nemo unquam unus quibuſcunque poterit precibus. Tu rem interea, qualis ea cunque ſit, æqui boni, quæ tua humanitas, conſule. Vale.

AD

ADNOTATIONES.

1 OB modeſtiam Auctor ſe vocat anatem Caloris fluvii Beneventum ſuam Patriam alluentis.

2. Nicolaus Valletta Juris, & Aloyſius Serius Eloquentiæ Neapolitano in Atheneo Profeſſores feliciſſimi, & elegantiſſimi ex tempore Poetæ, a Romanorum, & Moſchorum Impp., aliiſq. Principibus viris, litteratiſq. ſtupentibus ſæpe auditi.

3. Petrus Trapaſſus a Gravina Magiſtro græco Methaſtaſii nomine donatus, Vintobonæ Aulicus laureatus Poeta; ibidem nuper mortuus.

4. I. Vincentius Gravina notus in Rep. litteraria ob aureum opus de origine, & progreſſu Juris, & innumera Opuſcula, præſertim de Imperio Romano; Tragœdias ſcripſit ad amuſſim artis Poeticæ regularum.

5. Comes Wilzech, quum hic Legatus degeret, noſtrorum litteratorum fautor, & laudator, quos ſæpe familiariter ad menſam excipiebat.

6. Locum controverſum penes noſtros Auctores Furcarum Caudinarum, auſpiciis Comitis Wilzech, Franciſcus Daniel demonſtrat grafice, depingitq., poſtquam ambo eo ſe devexere, autopſia locum contemplati, adhibita etiam decempeda, ut appareret capax clauſis in vallibus tot Legionum, edito libello cum Topograficis tabulis. Daniel Federici II. mox edet vitam multo labore lucubratam, pro qua Siciliam petiit, Panor-

miq. commoratus. Inter XVviros Antiq. Ercul. nitet. V. num. *I.*

Excidit heic Auctori Franc. Antonius Can. Natale, qui ejuſdem ſub auſpiciis Comitis Wilzech columnam marmoream in area ante Cathedralis Capuæ Eccleſiæ periſtylium nunc poſitam erudito libello illuſtravit; altero ſuam S. Matronæ actis auctoritatem aſſeruit: at nunc neſcio quid majus meditatur, brevi editurus. Proinde inter optime meritos de Campanis Antiquitatibus jure accenſendus.

7. Antonius Guthler Epiſcopus Tyaneus a Reginæ Confeſſionibus, litteratorum noſtrorum encomiaſtes, quos etiam ſæpe ad opiparas menſas adhibet, ad quas Auctor invitatus docta, & jocoſa Elegia ſe excuſat. V. num. *II.*

8. Maria Carolina meritiſſima Neapolis, Siciliæque Regina Regales inter ampliſſimas virtutes, quas in ea admiramur, ſcientiarum, bonarumq. artium tutela eſt: idque litteratos fovendo, & juvando, maxime Poetas, ſæpe oſtendit; neque ſolum thuſca, ſed noſtra etiam dialecto maximopere delectatur, in Bacchanaliorum præſertim Canticis, vulgò, *Quadriglie*, *Canti carnaſcialeſchi*.

9. Guglielmus Amilton Romanarum, Græcarumq. Antiquitatum callentiſſimus rarioribus cimeliis ampliſſimum Muſæum inſtruxit, cujus domus, & menſa litteratis noſtris ſemper patet V. num. *III.*

10. Pauſilypi collis, Veſuviiq. frugiferum ju-

jugum optimæ notæ vina producunt.

11. Capta Conſtantinop. a Mahumete II. anno 1453. profugos litteratos barbatos hoſpitio excepit, fovitq. Medicea domus, cui quantum noſtra Italia debet! hi enim ad nos ſcientias, bonas artes, litteraſq. Græcas, & Poeſim tranſtulere. Revixerant tamen Neapoli ſub Alfonſo ſapientiſſimo Rege, quum Antonius Panormita, & Jovianus Pontanus ejus Adminiſtri fundarunt tot litteratorum Matrem Academiam, qua exoleſcente, ad antiquum nitorem redegit Ferdinandus IV. Antiquior Poeſis hic revixit uſque a Federico II. Imperatore, & Entio notho Sardiniæ Rege, qui & ipſi non ignobiles Poetæ; inde ab Etruſcis exculta Dante Duce, falſoq. Narbonenſes hanc ſibi gloriam vendicant.

12. Etſi Germania a Romanis nunquam ſubacta, nec in Provinciæ formam redacta, victi tamen non raro Germani, pulſique ultra Rhenum; ſi demas Legiones cum ſuo Duce Quintilio Varo ad internecionem deletas: paullo tamen poſt Germania pœnas dedit Druſo Duce a ſpectri horrifica voce vetito ultra progredi, ſignaq. & Aquilæ Romanæ receptæ a Germanico filio.

13. Nicolaus Parthenius Giannattaſius e Soc. J. quem proinde cum Barclaio *Acignum* dicit Auctor, inſignis hujus ætatis latinus Poeta res abſtruſiſſimas, & a ſuo inſtituto prorſus alienas tractavit, Bellica, Nautica, Halieutica, ejuſq. verſus multo magis æſtimandi, quam Oppiani, qui tamen a Cara-

calla totidem nummis aureis repenſi, proindeque aurei dicti: nec ſilendæ Eclogæ poſt Sannazarium Piſcatoriæ, & carmina in ſuo *Anno Erudito* diſſecto in Ver Herculanum, Æſtates, Autumnoſq. Surrentinos, Hyemeſq. Puteolanas interjecta.

14. Epicum Poema Saberidis reliquit imperfectum, quod Auctoris frater ejuſdem Societatis ſexcentis ſupplevit verſibus, abſolvitq.: de quo etſi in virilitate mente capto illud mirandum, quod elegantiſſimis verſibus Tacquetum traduxit.

15. Cordara Sardus Muſas ad caſtra perduxit terſiſſimis latinis Eclogis militaribus in thuſcum idioma verſis ab Anonymo V. num. *IV.*

16. Hercules Strozza de cocolate, & ejus uſu hexametris verſibus Poema edidit; mantiſſam Pindarico volatu aſſuit Auctor non illepidam, excurrendo ad Variolas, & Syphilidem. Utra humano generi noxior, majoriſq. Charonti quæſtus V. num. *V.*

17. Eulalius Savaſtanus Epico carmine Botanica tractavit ſummo artificio, & elegantia.

18 Quintius Poemate heroico, cujus titulus *Inarime*, de Inſulæ balneis fuſe, & eleganter diſputat tanquam Medicus.

19 Juvenatius delicatiſſima Endecaſyllaba Catullianis paria nuperrime edidit, calentque adhuc prœla.

20. Raymundus Cunich Romæ eloquentiæ Profeſſor, & Bernardus Zamagna Senis herois carminibus tranſtulerunt Iliadem al-

ter,

ter, alter Odyſſeam, de qua traductione ſic Auctor :

Majeſtas eadem ; certant Romana Pelaſgis Carmina . . . .

21. Elias Ehobanus Heſſus Iliadem tranſtulit ; illiſq. comparatus, ſus Minervæ. Modeſtiſſimus Cunich ita de eo, *nec dico quid mihi videatur ſcriptum heic eſſe contorte, ac perturbate, quid frigide, quid parum numeroſe, atq. etiam parum latine.*

22. Nicolaus Capaſſus, quo Magiſtro gloriatur Auctor, Neapolitana dialecto morionis ſacco ſuccinctus vertit ſeptem primos libros Iliadis, quos antea thuſco carmine Lauretanus, ut Æneidem Lallus; hanc nuper Neapolitana dialecto Setillus.

Nunc alter ab illo Dominicus Capaſſus in Diæceſano Lyceo Rhetorices, in Archigymnaſio Ethices Anteceſſor, qui illius uti nomen, ita etiam ingenium, doctrinamq. ſervat. Sed quantum in poeſi, latina præ ceteris, excellat, varia ejus poematia typis vulgata abunde teſtantur.

23 Carolus Aquinas heroo latino carmine divini Dantis comœdiam tranſtulit, cui e re viſum, liberos verſus, quibus impetiti Pontifices, Reges, Nationeſq., non transferre; tranſtulit, lacunas implendo, Auctor: ſpecimen V. num. *VI.*

24. Boſcovizt, & Stay celebres Methematici, & Poetæ res difficiles novæ Philoſophiæ latinis verſibus expreſſere, Lucretii veſtigiis inhærentes ; præivit hos Cardinalis Polignach eleganti ſſimo ſuo Antilucretio

25. Delicatiſſimum Monteſquii Poema, cui titulus *Veneris Gnidi Templum* prorſa, quod non novum, uti Telemachus. Doctor Clancy, Anglus Homerus, etiam quod cæcus, herois latinis verſibus vertere occepit, vivente adhuc Monteſquio, uti apparet ex hujus epiſtola ad Venutum, ubi etſi primi tantum libri mentio fiat, addidit tamen poſtea ſecundum; Vates noſter traduxit reliquos *Amici* iteratis obteſtationibus victus, ea tamen conditione data, & accepta, ut paraphraſis potius eſſet, & libere, quaqua libitum eſſet, excurreret, uti fecit, imo ſupplevit poſt tertium librum omiſſas a Monteſquio in ſui Poematis epoca Civitates poſt V.C. florentes, & inde Poetarum more præterita, uti ventura prædicit, excurrendo per totam Europam tum barbaram, inde florentiſſimam, additq. traductionem alterius Poematii Monteſquii, cui titulus *Cupido præciſis pennis*.

26. Prælis jam deſtinata amœniſſima Turdeis cum aliis Poematiis ejuſdem Auctoris a Petro Patritio, cui dicata; quo immatura morte perempto, ejus filius inter VIviros J.D. cooptatus, magnæ ſpei adoleſcens, Patris exequetur voluntatem.

27. Clemens Filomarinus è Turris Ducibus poſt latinam, de qua ſupra, thuſcis carminibus Templi Gnidi traductionem adornavit, & varia addidit Poematia, inter primæ claſſis Vates recenſendus.

28. Paſchalis Jacobellis Jureconſultus diſertiſſimus eandem verſionem lucubravit,

octo-

octonis tamen verſibus cum rhythmo, hæreoq. cui palmam deferam; Phœbo enim hic etiam carus, meliore certè dignus fortuna, quam tamen philoſophico pallio obvolutus juvenis ſprevit, magiſq. in ſenectutem vergens.

29. Aquinas Patricius Tarentinus quatuor libris delicias Tarenti Maroniano carmine deſcribit, traducitq. Carducius, & ipſe Patricius Tarentinus, thuſco carmine, additis doctis notis & diſſertationibus de phalangio Apulo, nautia, variiſq. concharum generibus; ejus præſertim, cujus lanugine texuntur chirothecæ, caligæq. manibus, pediboſq. Nobilium.

30. Nicolaus Angelius morum probitate ſine fuco, & fallacia antiquis comparandus thuſcis verſibus Plauti Comœdias tranſtulit, ejuſdemq. ſales ac jocos noſtris auribus aptavit, & abſtruſiores locos ingenii acumine enucleavit, gratus etiam Magiſtri ſui Nicolai, non inficeti latini Vatis carmina edidit.

31. Hi celebres comici Poetæ noſtri temporis.

32. Nicolaus Amenta Vates, Comœdiarumq. Scriptor feliciſſimus; in quem tamen mordax Capaſſus injurioſa vomit carmina.

33. Joſeph Cyrillus eloquentiſſimus cauſſarum in foro Patronus, atque in Regio Atheneo doctiſſimus juris Interpres; latinæ, græcæ, thuſcæq. linguæ callentiſſimus; ad hæc Comœdiarum eruditiſſimus Auctor, & actor feſtiviſſimus.

34

34. Cardinalis Delphinus Tragœdiarum ad exactas regulas Scriptor.

35. Annibal Marcheſius Tragœdiarum quoq. Scriptor exactiſſimus Epicum Poema thuſcum, cui titulus *Witichinnus* in nuptiis Caroli Borbonii, & Amaliæ Saxonis communi omnium exceptum plauſu edidit.

36. Xaverius Comes Panſutus XXIVvir J. D. utroſque ſuperius præfatos longe, me judice, ſuperat; ut qui a declamatorio Senecæ ſtilo recedens, Sophoclem, Æſchylumque imitatur.

37. Petrus Signorellus Neapolitanæ Academiæ reſtauratæ a Secretis, vir optimis moribus, omnigenaq. doctrina. Hic quum in urbe Carpetanorum eſſet, præter Satyras hetruſco verſu conſcriptas elegantiſſimas, eaſdemque feſtiviſſimas, theatralem omnium ferme gentium, temporumq. hiſtoriam ſumma, variaque eruditione contexuit. Ad hæc Comœdiam *Fauſtinam* quæ una præ oculis velut inſtar ejuſmodi Scriptoribus habenda; aliaq. edidit permulta, quæ ſublime, & ad omnia natum viri ingenium ſatis ſuperque arguunt.

38. Parrinus VIvir J. D. elegantiſſimis forenſibus Dialogis Luciano par: celeber libello de Fortuna, & inde Palinodia; multo magis libello de Theatro: carmina quoq. non pauca latina, & thuſca edidit.

39. Emmanuel Campilongus præter feſtiviſſimam Mergellinam Sinceri Arcadiæ parem, edidit Protheum; Galleidem, ac Polyphæmeidem, quam deſumtis ex Legibus

XII.

XII. Tab. carminibus Saliaribus, Duilliiq. columna vocabulis in latinum ipſemet vertit. Alia ejuſdem Auctoris innumera opera ſciens prudens prætermitto, ne nimis in longum abeam.

40. Xaverius Rinaldi, & Ignatius Falconerius notiſſimi latini vates, hic etiam thuſcus; æque laudant Paulinum Nolæ Epiſcopum & ipſum vatem, cujus carmina in Muratorio leguntur.

41. Aurelius de Januario XXIV vir J.D. Vates latinus elegans etiam ex tempore: Rep. JCtorum partim proſa, partim carmine, quæ Noſtris, & Exteris arriſit, maxime clarus.

42. Ap. Bonafede nomine Agatopiſti notus illuſtrium Virorum elogia texit bis ſeptem verſibus, additis tamen bene longis notis.

43. Xaverius Matthæi adoleſcentulus adhuc, dum in Sacro Urbano Ephebeo inſtitueretur, doctum edidit libellum de duplici Alba, de voce Tityrus &c. inde foro addictus inter magni nominis Patronos non deſtitit, ſucciſivis horis, Muſis litare. Quis neſcit doctiſſimam thuſcis verſibus Pſalmorum verſionem, æque doctiſſimis diſſertationibus, notiſq. illuſtratam? quod & P. Rugilus effecit; raro tamen inter ſeſe in interpretatione conveniunt, abeuntes ſæpe in diverſa. At nunc merito toga ornatus Peregrinos inter Prætores ſplendet.

44. Antonius Cæſar Vintobonæ Cæſareus Poeta Laureatus Aug. M. Thereſiæ Au-

Auſtriacæ, & Eugenii res geſtas eleganti latino carmine exprimit.

45. Euſtachius Thomaſius humaniorum in Regio Atheneo litterarum Profeſſor, celeber verſibus, magis vero Legali-philologico tractatu de *Culeo*. Grammaticam Porturegalenſem emendavit, auxitq., ut alias opellas editas, edendaſque ſileam.

46. Franc. Mazzarella Græcæ Linguæ Profeſſor, Grammaticam græcam Porturegalenſi auctiorem, multoque faciliori methodo concinnavit, *Neohellenopædiam*. Muſæum de Herus, ac Leandri amoribus fideliter thuſco carmine vertit, Neapolitanaq. dialecto Homerum de murium, ac ranarum pugna: multa præterea habet in ſcriniis prælis jam deſtinata.

47. Marchio Montacutus, quod mirum Miles, latinis verſibus Arioſtum tranſtulit, comparandus merito primis ſeculi XV. Poetis.

48. Jo: Baptiſta Marchitellus, Arguſti Dynaſtes, ſua dignus laude, non ſolum jocoſis verſibus thuſcis, ſed etiam mantiſſa Arioſto addita de Medori Coronatione, quam non dedignaretur Arioſtus.

49. PP. Guglielminus, & Caſtriota S.P. Sermones horatiano ſtilo compoſuere, uti & P. Guevara. Eodem Horatii ſtilo Sermones ſcripſit & Marchio Torres Patricius Aquilanus, formandis moribus, & corrupti ſeculi fæci purgandæ aptiſſimos. Utinam in lucem edere animum inducat!

50. Medicus Aquilanus epicum latinum Poema de Catharinæ Scytharum Impe-

pe-

peratricis geſtis elucubratum in ſcriniis adhuc ſervat, neque in publicum proferre curat.

51. P. Bernardus e Cappuccinorum familia, & Dominicus Ravizza JCtus, Anxanenſes; ambo melioris notæ Poetæ, ille lyricis verſibus, venuſtiſſimo præſertim dithyrambo; hic comicis operibus celebres. Vadem do, & quidem aſſiduum Matthiam Braſilem conterraneum, optimis moribus, multaque eruditione adoleſcentem: nec non Paſchalem Franciſchinum, ac Joſephum Pernam Frentanos, optimæ ſpei juvenes, quos tamen fori vortex abſorbet. Neque vero ſilentio hic prætereundus Stephanus Ferrante ex Adria multis hetruſcis lyrico verſu opuſculis, atque epico præſertim de Providentia poemate inſignis.

52. Carolus Pecchia latinus æque ac thuſcus Poeta; Rhedo non impar in ſuo dithyrambo; Hiſtoriam Civilem etiam Neapolitanorum Magiſtratuum magno labore texuit. At nuper in Scribarum claſſe, toga certe dignus, exceſſit.

53. Marinus Guaranus in Regio Archigymnaſio Juris Interpres multos de Romano, ac Patrio jure libros elegantiſſime ſcripſit. At nullam ejuſcemodi rerum rationem heic haberi vult Auctor: quod ſi liceret, quis Carminum Fimianum, Paſchalem Napodanum, Franciſcum Roſſi, totque alios celeberrimos viros ſine piaculo præteriret? Hic ergo uti ſigillatim lapidariis Inſcriptionibus felix nominatur, carminibuſque

que, in quibus tamen cuperem, eum fellis habere minus.

54. Delphica Bibliotheca ex Boccalini jocoſis Parnaſſi Relationibus non admittit legales libros, Auctor addit medicos, ego ſcholaſticos.

55. Thomas Phaſanus in noſtro Atheneo Experimentalem Phyſicam magno omnium plauſu docet, thuſcis, latiniſq. operibus, proſa, verſaq. celeber. Vita Serai Archiatri, cujus Auctor in textu oblitus, docta Juppiter, & laborioſa! Cruento ejus flagro Alphenus Varus Ticini juris Profeſſor male vapulat.

56. Doctiſſimi Matthæi Ægyptii nuper edita opuſcula græce, & latine. Eruditiſſimus ſane vir, interque primos recenſendus.

57. Horatius Cappella, Eques S. Stephani, dudum a Regiis Mandatis, at nuper ob ejus merita pinguiſſimo Sacerdotio a Rege donatus; tam in latina, quam in thuſca poeſi ambidexter; Aureum ejus libellum formandis moribus aptiſſimum legimus, & miramur.

58. Dominicus Mundus, uti Salvator Roſa, calamo, & peniculo clarus; patriæ non degener artis: Quis Marci Patris eruditionem neſcit? Utinam Manuſcripta ejus carmina edi poſſent!

59. Carolus Mormile Parthenopea dialecto Phædri fabellas fideliter, eleganterque traduxit.

60. Oliva Epicum Poema de Maſanello ſcripſit (utinam in lucem prodire poſſet!) ſex-

ſexcentaſq. pro Neapolitanis theatris eadem dialecto comœdias, ac de ea Grammaticam; hinc merito Neapolitanæ linguæ Auctor habetur. Juvet hic tranſcribere diſtichon, quo concludit orationem Parthenopes ad Jovem, quod fuiſſet Romanis Civitas fœderata:

E Romma, che lu Munno addommenaje
Pe Sore, e pe Commare a me trattaje.

61. Colubrani Princeps, & Fauſtina ejus Uxor ad Caprarium montem Academiam inſtituere ſelectiſſimorum hujus ævi Vatum, quorum carmina nitidiſſimis typis edita leguntur.

62. Imperialis Marchio Latiani ſtipendia in Hiſpanorum exercitu merens ad Calpes obſidionem, fingens in Leucade reperta a litterato Moſcho græca Sapphus carmina in ejus tumulo, edidit Sappho certe digna & erudita.

63. Mutius Cajeta dux S. Nicolai polyglottus; novem cordium liceat dicere, uti Ennium trium, quod calleret Oſcam, Græcam, & Latinam, hic quod novem callet linguas, quodq. mirum, prodigioq. affine, deſtinatus Legatus ad Moſchorum Imperatricem Petropolim, Illyricam in itinere didicit, jamque epicum poema Vatis Illyrici primæ claſſis traduxit, moxque edet lyricum, cui titulus *Magdalenæ Suſpiria*: idque inter laborioſas noctuq. diuq. Urbanæ Præturæ curas. Neque illud ſatis; Homeri novam Concordantiam lucubrat, qua quidem edita obſtupeſcet Europa.

Dux

Dux Belfortis feliciſſimus Poeta thuſcus, ut innumera ejus poemata teſtantur: nuper apoplexia correptus, at ſana mente, dexteris pede, manuque firmis.

Clemens Philomarinus, de quo V. adnot. 27.

64. Tres tantum inſignes Poetas Siculos noſtri temporis memorare libet, Campanillam, de quo infra, Melem, Rhaumque, ingenioſiſſimos, ac bene potos Caballino fonte.

65. Epicus Campanilla Popem ſuperat inſtruendo ſuo Adamo.

66. Suos quoq. Corſica & Sardinia Vates habuit, quos inter Cordara. Exules Romani gravi crimine damnati ob noxium aerem, uti perfidus ille Anicetus tempore Neronis, de quo V. Tac.

67. Ultra antiquos nuperrimos legere eſt in perfecta poeſi Muratoris, qui & ipſe inter perfectos Poetas recenſendus.

68. Eleonora Fonſeca Patricia familia Ulyſſiponenſi in Italiam tranſmigrata labente hoc ſeculo, Romæ nata, Neapoli educata ac nupta, poeſim thuſcam feliciſſime profitetur, Mathematicis, Aſtronomia præſertim, apprime imbuta, linguamque latinam intime callet, ex qua nunc vertit in thuſcam Nicolai Caravitæ libellum, *nullum jus* Romæ in Regnum Neapolitanum, additque notas hiſtoricas, criticas, & politicas, quibus ex meritis annua a Rege munificentia ditata eſt. V. num. *VIII.*

69. Ardinghella etiam nitet in Rep. litteraria bonis artibus, & poeſi.

70. Piccolominea, ut quæ Senis nata, excellit in thuſca poeſi. Duo ejus poema-

tia

tia cum admiratione legi, ſui in ſenium vergentis delicatiſſimam picturam, & de filiorum educatione ex Xenophontis Cyropædia.

71. Arechia primæ etiam claſſis noſtra ætate Poetria, emunctæque naris in dijudicandis poematiis, poetarumq. optima fautrix.

72. Dorothea Mazza Salerni patricia familia præfatis haud quaquam cedit, nuper inter Matronas non intimæ, ſed ad regias manus oſculandas admiſſionis adſcripta.

73. Corilla primo exemplo femina in Capitolio aureo ſerto coronata, multis licet Arcadûm diſſidentibus, ut ſine exemplo Tranquilla Molſa capitolino decreto Romana Civitate donata ob ſcientiam.

74. Carolus Antonius, & Proſper de Roſa magnæ ſpei adoleſcentes; primus jam prætexta depoſita in forum a Patre nuper inter XXIV viros J.D. ſine provocatione adlecto deductus; mox deducendus & alter Eques Melitenſis. Ambo vates optimi, tam latinis, quam thuſcis verſibus cantare pares, & reſpondere parati; ambo juris publici, privatique conſultiſſimi.

75. Nicolaus Porcinarius Eques etiam Melitenſis magnæ expectationis adoleſcens, a Patre XXIV viro J.D. ſine provocatione, nuper fiſci patrono electo, etiam in forum deductus, forſan invitus, & a foro abhorrens, abreptuſque a philoſophiæ, matheſis, publiciq. juris ſtudiis; philologiæ, ac poeſi & ipſe addictus.

76. Aloyſius Medices optimis artibus domi, foriſq. inſtitutus, qui Juvenis adhuc, ma-

maturo tamen judicio , ſubaĉtoque ingenio primum inter VIviros ; paullo poſt inter XXIVviros J. D. ſine provocatione , demum inter Vviros Militum , Aulicorumq. cauſſis dijudicandis cooptatus. V. num. *IX*.

77. Hyacinthus Draconettus Patricius Aquilanus XXIVvir J. D. ſine provocatione, humanioribus litteris in primis excultus, aureoq. libello de pœnis & præmiis in Rep. litteraria notiſſimus.

78. Andreas Marchio Tontulus inter XXIVviros, Patricius Sipontinus , optimus poeta , in fori etiam pulvere, ſucciſivis horis, quas laborioſiſſimo ſuo muneri ſuffuratur, Muſis identidem litare ſolitus.

79. Joannes Pallas XXIVvir J. D. ſine provocatione nuper defunĉtus; optimus Poeta latinus, ac thuſcus, utinam ejus carmina lucem adſpiciant!

80. Dominicus Marchio Salomonius Vvir Sanĉtioris e Regis latere Concilii ; ejus filius XIIvir Crim. pleĉt., præter publici , privatiq. juris ſcientiam, poeſim pulchre callent , humanioribuſq. litteris ſunt optime imbuti. At hæc dum ſcribimus Patri Parcæ vitæ ſtamina nunquam diſſolvenda ruperunt.

81. Scipio Patritius XIIvir Crim. pleĉt. optimus Poeta latinus: Franciſcus ejus Patruelis optime inſtitutus adoleſcens VIvir J. D. extra ordinem.

82. Auguſtinus Tetamus , Siciliæ Togatus Militum Judex, elegantiſſimus Poeta latinus , & Auĉtoris amicus litterario commer-

mercio per epiſtolas carminibus intertextas.

83. Dominicus Mezzaporta primus inter Adminiſtros a Regiis Mandatis, Lyricus Poeta thuſcus, jam foro nomen dederat, interque primos cauſſarum patronos accenſebatur, at inde invitus a Rege in Provinciam miſſus J. D., demum ad Aulam retractus æque invitus.

84. Joſeph Garganus, Daunus, inter primæ claſſis patronos recenſitus, ad Regia Mandata retractus, inde in Siciliam Proregis a Secretis amandatus, quo munere ſumma fide, ſedulitate, atq. abſtinentia functus eſt, maximo Regis, Proregis, ac Siculorum plauſu; hinc merito hiſce diebus inter XXIV viros J. D. ſine provocatione & ipſe adſcriptus.

85. Franciſcus Ricciardi in foro tonat, interq. primos oratores enumerandus, etiam Daunus, æque Parnaſso transfuga.

86. Joachim Marchio Granitus, juvenis omnibus ſcientiis inſtitutus, humanioribus præſertim, ac Poeſi, a Patre jam inter Ærarii VIIviros, jamdudum in forum deductus, quem ſat ſua clarum virtute mox toga magis ornabit.

87. Marcellus Celentanus, Patricius Barenſis, omnibus humanioribus litteris expolitus, Poeſi maxime, latina, ac thuſca, inter fori Oratores Pericles alter, jam togæ deſtinatus, at illum immatura mors nuper rapuit: Auctoris amiciſſimus, cujus obitum Epicedio ab amore dictato deflevit. V. num. *X.*

88. Jo: Baptiſta Vicus Europa notiſſimus, præſertim libello, cui titulus *Principia novæ ſcientiæ*, juvenibus ob tenebricoſi ſtili difficultatem neglecto, trito tamen ſenibus, qui ibi juris naturalis, publici, privatiq. ſemina, ac ſocietatum initia inveniunt. Edidit etiam Auguſtei ævi phraſi Antonii Carafei Illuſtris Ducis Vitam, ut & Orationes, & Poemata. Extat Mta Parthenopea Conjuratio inita mortuo Carolo II.

Ejus filius Januarius patriæ artis callentiſſimus multas etiam edidit Orationes, ac Diſſertationes, eaſq. eruditiſſimas, inque noſtro Atheneo latinam Eloquentiam meritiſſimus patri ſucceſſor docet.

89. Vici Sylla principiis inhærens Græca Mithologia fundamenta jacit ſocietatum, & ſcientiarum.

90. Marius Paganus Vici etiam veſtigiis inſiſtens eodem currit ſtadio, exteris notior, quam noſtris.

91. Alexii Symmachi Mazochii ſolum nomen elogium texit ampliſſimum: Vir ad prodigium uſque ſcientiis omnibus imbutus; Polyglottus, Philologicus, Antiquarius; ſat nominare Tabulas Heracleas illuſtratas, Amphitheatrum Campanum, Inſcriptione feliciter ſuppleta; magis admirandæ Tyrrhenicæ ejus diſſertationes, quarum una inter poſthuma ipſius opera edita ceterarum magis auxit deſiderium.

92. Philippus Patruum æquaſſet, at foro addictus admodum juvenis inter VIviros J. D., inde inter XXIVviros, poſt Ærarii

VIIvir

VIIvir ad Apuliam amandatus rei Scripturariæ Præfectus, concordiam inter Agricolas, & Paſtores, quod rarum, fovit; nunc inter Vviros ſanctioris e Regis latere extra ordinem Concilii ſplendet, ac Reip. tributa ſedulus regit.

93. Nicolaus Ignarra digniſſimus Mazochii Alumnus, & ipſe polyglottus, doctiſſimus in noſtro Atheneo Sac. Script. Interpres, notus in Rep. litteraria multis philologicis libellis, in quibus latinæ, græcæque eruditionis affatim ſupellectile imbutum ſe prodit; inde jure merito Moderator datus Franciſco Borbonio noſtro Principi Juventutis.

94. Sabatinus Aquilæ Præſul multa edidit hiſtorica, philologica, Neapolitanæque Eccleſiæ Kalendarium doctiſſimis notis illuſtratum, Neapolitanam quippe hiſtoriam pulchre callebat: innumera reliquit Mta, quæ cum blattis rixantur.

95. Stephanus Borgia, Eques Melitenſis, nuper in ampliſſimum Purpuratorum Collegium cooptatus magno plauſu, non ſolum Italiæ, totiuſque Europæ, verum etiam Aſiæ, Libyæ, Ammericeſque, quibus ſat notus ob bene navatam tot annis in S. Congreg. de Propaganda, cui a Secretis, operam. Velitris, Octaviorum patria, patricia familia ortus; clarior moribus, & ingenio, notiorq. in Rep. litteraria tot laborioſiſſimis operibus, Beneventi præſertim Hiſtoria a ſeculis Barbaricis, & Pontificiis juribus aſſerendis, propagandiſq., aureo libello de Cruce Velitrana, de Vaticana Confeſſione, A-

C po-

pologia de Pontifice Bonifacio, Agni benedictione; ſileam Orationem Pii II. de bello Turcis indicendo, de Rhodiana obedientia, de Antonini Columna illuſtrata; ſileam diſſertationem philologicam de antiqua gemma, quibus viri eloquentia, Romanarumque Antiquitatum peritia ita ſe prodit, merito ut illum noſtri ævi Varronem vocare poſſis.

Hic autem quamvis tot, tantorumque negotiorum mole pene obrutus ubique gentium fuerit; ita tamen Pop. Rom., exteroſque ſua ſibi humanitate devinxit, ſemper ut omnibus fuerit acceptiſſimus, uti mihi ſæpe per litteras ſignificavit eruditiſſimus Juvenis Andreas Abati Decurio Cubiculariorum optimi, atq. incomparabilis Card. Eboracenſis Britanno e Sanguine Regum. De hoc V. num. XI.

96. Jacobus Martorellius Græcanicarum Antiquitatum peritiſſimus græcas litteras multis annis in Regia Univerſitate docuit; opus de Theca Calamaria inter cimelia, & rudera hic inventa edidit, ab Ultramontanis, qui illud tranſtulerunt, maximopere expetitum. Multa quoque circumferuntur opera philologica, aut ab ipſo typis vulgata, aut ei certe tribuenda.

97. Dux Vargas ejus Alumnus veluti Mantiſſam ad Thecam Calamariam ſcripſit de Phœnicibus, Tyrrhenisq. veteribus Italiæ habitatoribus. Primos duos libros edidit dirigente Martorellio.

98. De Simeonibus Romæ hiſtoriam Pan-

no-

noniæ latiniſſima phraſi ſcripſit, præter theologica, lithurgica, & de judiciaria Pontificis poteſtate. At meritiſſimum Præſulem ad prima Rom. Curiæ munera evectum immatura mors ſuſtulit. Ejus amitam Auctoris pater duxit: Auctor altera uxore Frangipania e Ducibus Mirabelli natus.

Vita Epiſcopus Rheatinus, Antiquitates Beneventanas doctiſſimis diſſertationibus duobus tom. fol. illuſtravit; elegantiſſimo etiam latino ſtilo.

99. Zaccarias accuratus, & liberrimus Auctorum cenſor, auctorque multorum operum; ſcribit adhuc admodum ſenex.

100. Antonius Genoveſe magno Vir ingenio, utinam ſe magis cohibuiſſet in theologicis! ſat notus exteris, Anglis præſertim, quibus magno ſemper in pretio doctis libris de Commercio. Heic Commercii Cathedram rexit.

101. Moriſanus, Rheginus, doctiſſimus Rheginarum Antiquitatum inveſtigator; Marmora Rhegina illuſtravit: Juris Canonici peritiſſimus, multis de eo editis operibus. Immatura illum mors nuper ſuſtulit laboribus quidem confectum; at nondum ſenem.

102. Pratillus Viam Appiam graphice deſcripſit ab aurea Capitolii columna milliaria Brunduſium uſque; eamque nec labori, nec expenſis parcens peragravit; doctiſſimis etiam diſſertationibus ditavit Camillum Pellegrinum de Principibus Longobardis.

103. Jo: Donatus Rogadeus, Butuntinus Patricius, Neap. Hiſt. Civilem compilavit perpetuus cenſor Giannonis: ſpecimen tantum primo tomo dedit ; utinam reliqui edantur ! Patronus magni nominis in noſtro foro, acri ingenio, nec a Poeſi abhorrens. Melitem a Magno Magiſtro amplo ſtipendio evocatus, ut ibi tribunalia reformaret, quod triennio effecit, dimiſſuſq. magno honore, majoriq. annua penſione : nuper nec ſenex mortuus.

104. Franc. Malarbius etiam a Magno Magiſtro nec parvo ſtipendio Melitem evocatus, ut ibi Atheneum reformaret, quod etiam triennio effecit. Patriam inde repetere coactus, podagra afflictus, qua nuper demum confectus. Inter litteratos primæ claſſis merito locandus editis tot doctis libellis. Longiſſimo articulo de Tiphatino Palatio ipſe etiam ſuam contulit ſymbolam.

105 Marchio Maurus XXIVvir J. D. ſine provocatione Annibalis vitam, Reique Carthaginienſium publicæ politiam magno ſtudio, ac labore lucubravit. Sæpe illi calcaria addidit Auctor, ut edat tandem, manumq. e tabula tollat, interpoſita fide ſua, magno illam litteratos plauſu excepturos.

106. Trutta, Alliphanus, Annibalis caſtrorum metationem contemplatus, menſuſque, magnis expenſis, cura, ac labore, librum edidit de Antiquitatibus Alliphanis, hactenus incognitis, docte commentatus Kalendarium Alliphanum.

107. Cyrus Minervinus doctus græce, do-

doctuſq. latine, uti ſatis arguunt ejus opera, præſertim liber de fl. Mæandro, exiguus quidem mole, at ingens rerum pondere. Utinam Diſſertatio de Gothorum origine lucem adſpiciat! Parthenopeæ ſane Academiæ acta decoraret. Ad ejus Principem elogio ſatis amplo illam remiſit Auctor, cui, uti Academiæ Cenſori, reviſionis demandata provincia.

108. V. not. 42.

109. V. not. 25.

110. Scipio Chriſtophorus optimus poeta thuſcus, nuper inter Oratorii Patres apoplexia correptus; Pater Hyacinthus magnus Mathematicus, & magni nominis in foro patronus: Bernardus avus etiam celeber patronus, Academiæ Neapolitanæ Hiſtoriam eleganter conſcripſit.

111. ~~Aloyſius~~ Diodati innotuit docto libello de Chriſto græce loquente, Moſchorum Imperatrici dicato, ac laborioſiſſima diſſertatione nummaria, ad legum præſertim patriarum facilem intelligentiam edita in 1. tom: actorum academicorum. Dominicus

112. Paullus Auria Patricius Januenſis edidit de Vita Civili dogmata a jure naturali, gentium, & publico tracta, Platonis ſemper veſtigiis inhærens. Scripſit Methapyſica, de mulieribus illuſtribus, ſermones morales, ac mellita thuſca carmina.

113. Ayroldi fratres nobiliſſimo genere clari, multoque magis virtute: alter Siculæ Monarchiæ Judex (ita dicunt Legati munus Rogerio, ejuſque Succeſſoribus a Pont.

Max. indultum) Arabum Mta pulvere conſperſa, blattiſq. eroſa in elegantiſſimam latinam linguam vertit, patriamque hiſtoriam auget, atq. illuſtrat; alter toga conſpicuus.

114. Dux Nojæ Carapheus, & Sanſeveri Princeps Sangrius doctiſſimi Viri, quamvis militiæ addicti. Primus Neapolitanarum Antiquitatum, alter Experimentalis Phyſicæ peritiſſimus; quis neſcit ejus libellum, cui titulus *Quipù?* omitto *Comitem Gabalì*.

115. Cajetanus Filangerius e Ducibus Arianelli Monteſquio, Lokioque par: dum intimam legum naturam magni more philoſophi rimatur, eaſdemq. Populis aptat, magnum ſibi apud nos, exteroſque nomen, decuſque peperit; illius tamen immortale opus fruſtra male feriati quidam conati obterere: at in medio honorum, vitæque curſu ſupremum nuper magno Rei litterarum publicæ damno obiit diem.

116. Marchio Palmerius licet palladiis artibus optime inſtitutus, Juvenis militiam ſecutus eſt, ediditque libellum de militari re noſtris temporibus aptata, proinde extra Vegetii, Lipſii, ac Macchiavelli veſtigia; at abjecto poſtea ſago Patriæ ſe reſtituit, ubi alterum elucubravit libellum, quo regendos Populos felices redderet. Ejus fama motus Rex huc accivit, interq. Magni Concilii de tributis, & portoriis locavit, Vvirumque e Regis latere Sanctioris Concilii creavit. Cujus Concilii Directorem Ferdinandum Corradinum merito Neapolitanum

Fo-

Foquetum Auctor vocat, tum mentis acumine, tum prudentia, morumque ſanctitate, cui quum duos libellos miſiſſet, ab Huetio, mandante Foqueto, conſcriptos, de antiquo Romanorum commercio, eorumque tributis cum noſtris comparandis, hoc addidit diſtichon.

Quos conſcripſit Huet, Gallo mandante, Foquetum
Parthenopes par eſt ditis habere libros.

De Palmerio V. num. XII.

117. Leonis Muſa dum juris naturæ ſcaturiginem detegit, Helvetiumque confutat, mores hominum formare ſatagit.

Neque reticendus alter Leo, Andreas, qui Officiorum olim (de quibus docte etiam ſcripſit, plura, ſi negotia, quibus diſtractus, ſiverint, ſcripturus) in Reg. Archigymnaſio ſumma laude Profeſſor; neque minori integritate, atque abſtinentia Provincialibus Magiſtratibus functus, primum inter Scripturariæ Apuliæ rei IVviros, tum inter XIIviros Crim. pleſt. adlectus, tandem paucis abhinc diebus Campaniæ ad arcendos, coercendoſque Sicarios Præfectus renunciatus eſt, majora pro meritis mox conſecuturus.

118. Marcellus Scottus e Prochyte, multijugi eruditione præclarus. Auream ipſius hiſtorico legalem Diſſertationem de Miſeno monte dudum cum admiratione legimus; nuper primum non parum profuturi Catechiſmi Nautici tomum accepimus, ceteros anxie expectamus.

119. Litteratos fovendo, Magiſtratibus continendis, obſervantia legibus aſſerenda,

noſq. felices quaquaverſus reddendo haud quaquam cedunt Ximenio, Richelio, ac Mazarino Marchio Caracciolus, Marchio Demarchus, atq. Eques Acton a Regis Secretis; quorum primus aureum etiam edidit de re Sicula frumentaria libellum, dum pro Rege Siciliam regeret, quo mentis acumen, magniq. animi ſapientiam prodidit.

120. Auctoris Frater, multorum annorum labore, ſupplendo bibliothecam Neapolitanam Toppi, ac Nicodemi, litterariam noſtrorum hujuſce ætatis Auctorum hiſtoriam, elogia texens conſcripſerat elegantiſſima latina phraſi, at quia forſan mordacia, flammis a famula mandari juſſit.

Rerum, Antiquitatumque Neapolitanarum Scriptorum criticam hiſtoriam exquiſitiſſime nuper compoſuit Vir doctiſſimus Franciſcus Soria.

Juris Auctorum, juriſque Conſultorum nunc hiſtoriam, cujuſque opera vacuo adfectibus animo pro meritis laudando, aut taxando, concinnat Juvenis eruditiſſimus Laurentius Juſtinianus.

121. Litterariam Italiæ hiſtoriam fuſe duodecim voluminibus ſcripſit Tiraboſcus: idem ſaxum, majorique forſan felicitate, volvit Andres, viventes adhuc, Viri ingenio, atque eruditione ad miraculum uſque præclariſſimi.

122. Flavius Gioja Amalphitanus, non Melphitanus, uti exteri quidam, ſimilitudine vocis decepti, Pyxidis Nauticæ inventor initio ſeculi decimi quarti, quamvis gloriae

Ita-

Italorum invidi antiquius , ſomnia fingentes, inventum eſſe dicant, auſi etiam citare Plauti locum, *cape verſoriam*, quod ſane riſum movet, ni potius ſtomachum; ut Medicus ille, qui Syphilidem Mundo coævam, miſerumq. Job ea affectum infamat.

123. Nauticæ artis peritiſſimus Eques Acton, quippe Anglia oriundus : vid. adnot. 119.

124. Pater Lana e Brixia Naves volitare per aera docuit, at ſtraverat ante viam Thomas Campanella Stylenſis, prodigioſo Vir ingenio, ſi fanatiſmum demas : de quo novo invento V. num. *XIII.*

125. Non longe a Minervæ Promontorio, ac proprie in *Plano Surrenti* Ferdinandi IV. Noſtri Regis providentia Plebejorum Ephebeum inſtitutum, ut Pueri litteris imbuerentur, Nauticamque ibi praxim addiſcerent, parturitque jam Nautas, & optimos Proretas.

126. Eadem Regis Providentia fundatum & alterum Ephebeum Nobilium, primo Neap. nunc Herculani ad Pueros Nobiles inſtruendos, qui quidem juſtiſſimis optimorum Moderatorum votis mirum in modum reſpondent.

127. Thycon Brahe, Danus, origine nobili Sveciæ, magnus Aſtronomus, nec minor Poeta: is XX. circa annos in inſula Venuſia ad Daniam pertinente commoratus eſt, ubi turrim inſpectoriam ædificavit cum oppido, cui nomen Uranopolis dedit, au-

ſpiciis Regis Dani. Hic ſuas aſtronomicas omnes obſervationes, & ſyſtema ſuum peperit.

128. In Palatio ante Regiam, quod nobiliſſimus, integerrimuſq. Vir Franc. Pignatellus, regiis juſſibus obtemperans, magnifice extruendum curavit, omnia Matheſeos inſtrumenta nonnullis in conclavibus eleganter diſpoſita viſuntur. In Muſæo, ubi olim Regia Studia, ampliſſima in pinacotheſa, ſeleſtiſſimam cernere eſt Bibliothecam ex Parmenſi, aliiſq. unde unde adlatis conflatam, ut jam nihil nobis invidendum ſit Anglis, Galliſq. Neque ſpecula deſunt uſtoria.

129. Et quidem ut ceteros ſileam, cui non dicti Caballi, Martini, Caravelli, quorum mathematica opera æternum vivent?

130. De ea v. not. 68. Addenda tamen hic Laura, quæ Bononiæ magna Auditorum frequentia, & plauſu phyſicam Experimentalem docebat, & forſan etiam num vivit.

131. De Specillorum Inventore thuſco labente ſeculo duodecimo legenda eſt Epiſtola Rhedi ad Datum. Nec Galilæo invidenda eſt inventio Theleſcopii, quidquid Batavi jactent.

132. V. adnot. num. XIII.

133. Antonius Beccatelli e Bononia, dictus Panormita, & Jovianus Pontanus auſpiciis Alfonſi Parthenopeæ Academiæ Fundatores, ex qua tanquam ex equo Trojano tot illuſtres viri prodierunt, exoletamque,

ſe-

ſelectis non e Metropoli ſolum, ſed e toto etiam Regno eruditiſſimis quacunq. in ſcientia viris, inſtauravit anno MDCCLXXX. Ferdinandus IV. litterarum bono, publicæque felicitati natus.

134. Neapolitana Academia, de qua ſuperius, jam edidit primum Volumen doctiſſimis Diſſertationibus refertum, magno hic, alibique exceptum plauſu, jamque prælis alterum, ac tertium deſtinata.

135. Regia Herculanenſis Academia anno MDCCLV. a Carolo III. tum hæc Regna feliciter obtinente inſtituta, & XVviris in philologia principibus compoſita, illuſtrandis omnigenis monumentis, quæ in ditiſſimo Regio Herculanenſi Muſæo aſſervantur, tantis ſub auſpiciis magna impenſa, pluriumq. annorum labore erutis, (Auctoris Fratre auxilium præſtante, imo ſymbolam majorem conferente, quippe qui Romanarum antiquitatum peritiſſimus, Bajardus monumentorum, cimeliorumq. catalogum edidit, inde quinque voluminibus Prodromum) Primum vol., quod picturas illuſtrare incipit, editum eſt in lucem anno MDCCLXVII. illudque deinceps quatuor alia in idem argumentum inſecuta ſunt, & duo de æreis ſignis. Sed labente tempore, dum hæc ederentur, ferè omnibus Academicis vel vita functis, vel alio diſtractis, totum opus in Cl. Paſchalis Carcani, qui a Secretis erat Academiæ, humeros incubit. Cum tandem is vita ceſſiſſet anno MDCCLXXXIII. cumque adornatas reliquiſſet aliquot tabulas, quæ lucer-

nas octavo volumine illuſtrandas exhiberent, ad opus abſolvendum denuo Herculanenſis Academia a Ferdinando IV. reſtituta eſt anno MDCCLXXXVII. Novi igitur XV viri principio inceptum jam de lucernis volumen eadem methodo perficiendum rati ſunt, quod jam typographos exercet. Sed quum probe noſsent, quot votis res litteratorum publica ſollicitaret papyraceorum ejuſdem Muſæi voluminum editionem, quatuor ex Academicis graeci idiomatis callentiſſimis ea provincia demandata fuit, ut eorum ſinguli in quatuor hactenus evolutis voluminibus ſupplendis, & interpretandis adlaborarent. Jamque eo deducta feliciter res eſt, ut ſub prælo ſit primum volumen, quod tum diatriben iſagogicam, tum primam de Muſica papyrum ſuppletam, commentariiſque illuſtratam exhibebit. Inter Academicos Herculanenſes Michael Arditus, libello, licet ſeorſim edito, de Numinum Epiphania, docto quidem, ac omni eruditione ſcatente, ſat notus.

136. Rudiis, antiquiſſima Ennii, & Pacuvii Patria, quæ nunc Aletium, Academia ſemper floruit, floretque adhuc, ex qua prodierunt Palmerius, & Perſonè.

137. De Palmerio vide adnot. 116. Addendus hic Hermenegildus Perſonè, qui poſtquam ſupplevit Morerium, multis articulis ad Hiſtoriam Neapolitanam pertinentibus, prodire auſus in ſcenam Monteſquii Ariſtarchus.

138. Ad Crathim antiqua etiam Conſentina Academia Philoſophis, Philologis,

Poe-

Poetiſq. ſemper abundans, quæ Ariſtotelis prima jugum excuſſit.

139. Ex ea Zicarus, Rheginus Archiepiſcopus, latinus Poeta inſignis, ut & Marchio Spiritus, cujus Conſentinam Pinacothecam legere juvat.

140. Beneventanam nec ſileam florentiſſimam præſertim auſpiciis Archiepiſcopi Urſini; quæ Quinquennalia Clementis XIII. magna pompa celebravit, quorum ſpecimen Auctor, ut patriæ Academiæ aliquod oſtenderet grati animi monumentum, nobis dedit. V. num. *XV.*

141. Sacrum Urbanum Ephebeum ſub doctiſſimis Gyptio, & Majello auctore Parthenopeæ conjurationis elegantiſſima latina phraſi conſcriptæ, ad ſummum ſcientiarum apicem perductum; neque illud minus nunc florere quiſquam putet ſub Carolo Roſino Rhetorices primo, inde linguæ græcæ Præceptore, XVviro antiq. Hercul: Sac. Script. in Archigymnaſio Interprete, curante vigilantiſſimo Cardinali Archiep. Capycio, qui non dedignatur frequentibus academicis exercitationibus intereſſe; adnitente etiam nunc pro virili ſua parte Nicolao de Ambroſio (qui nuper defuncto Buccio ſuffectus eſt Vicarius) græcanicæ, ac latinæ linguæ peritiſſimo, nec ſolum in Sac. Theologia, atq. utroq. jure, ſed & in aliis ſcientiis, humanioribuſq. litteris non parum verſato. Æque floret & alterum Diœceſanum, ubi a puero me ab optimis Magiſtris optime inſtitutum nunquam diffitebor. Paſſim

quo-

quoque in omnibus ferme Regni Neapolitani diœceſibus, præſertim poſt concilium Trid. ſacra Ephebea fundata, in quibus litteræ humaniores, & ſcientiæ ſacræ docentur, inter quæ Beneventanum ferme fundatum, ditatumq. ab Archiep. Car. Urſino, inde P. M. Benedicto XIII. ad ſummum etiam apicem deductum, floretq. adhuc ſub Archiep. Card. Bandito, quem Patrem Pauperum dicere merito licet; Capuanum, quod M. Mazochium peperit; Atellanum magnifice ædificatum, ditatumq. a vigilantiſſimo etiam Epiſc. Card. Caracciolo, ex quo innumeri prodiere Litterati, quos inter Can. Theol. Peſce, theologica ſcientia, & S. S. apprime imbutus, nec ab humanioribus, præſertim poeſi, abhorrens. Neque hic prætercam can. Fulgure ampla, licèt juvenem, ſacrarum, ac profanarum ſcientiarum ſuppellectile ditiſſimum, ſacra præſertim Eloquentia a natura, & arte ornatiſſimum: prodibuntque deinceps innumeri alii cura, & vigilantia Epiſ. Tuſi, qui etiam academicis frequentibus exercitationibus intervenit. Floruit Trojanum initio ſeculi ſub Epiſ. Cavalerio, accitis e tota Europa magnis ſtipendiis litteratis viris, quumque incuria Succeſsorum collaberetur, à de Simone, & Honorato Epiſcopis antiquo nitori reſtitutum. Inter cœnobiticas vero Academias ſat memorare Auguſtinianam de Virgine ſine labe concepta, quæ quotannis laſſat prœla. Inter Privatas, quæ in domo Marchionis de Roſa,
de

de quo ſupra, Litteratorum magna frequentia in omnibus ſcientiis, Poeſi præſertim, celebratur.

142. Saluberrimas leges hic habemus de ancipitibus pharmacis vendendis a pharmacopolis, ne venefici pro venenis abutantur. Non inficior, ſeculi hujus initio celebrem fuiſſe veneficam Anum dictam *la Scartellata*, quæ præſentiſſimum venenum parabat, at pœnas tanti ſceleris luit. Imprudenter Hoſmam Medicus Germanus parare docet.

143. Aſiæ Regio, quæ nomen Sicariis Italæ dedit, Aſſaſin Principem habuit, qui ſuos ſubditos animatos præmiis ad vicinos Principes obtruncandos adhibebat V. Aulis: Unde in Italis Fabulis paſſim hic Princeps deſignatur *il Veglio della Montagna*.

144. Non ſolum legibus Civilibus teſtium ſectio in pueris, ſed etiam legibus Patriis vetatur.

145. Loquacibus, & mendacibus Proxenetis Dantes amputatæ carneæ e ſiſare linguam ſufficit.

146. Tertii ſeculi Martyr Puteolis ſub Timotheo Præfecto Januarius Epiſcopus Beneventanus, quem Civem ſuum Neapolis jactat contradicentibus Beneventanis, qui potioribus forſan nituntur rationum momentis; primus Urbis, & Regni Tutelaris Patronus.

147. Omnis Natio, quælibet Religio Tutelares Divos habuit, etiam ignotos; nonne ignoto Deo dicata Ara? Romani Deos Averruncos habebant ab averruncandis ma-

malis ab Urbe, proinde illis extra Urbem dicata Templa, quem morem & nos ſequimur, Antonio ab averruncando igne, & Rocho ab averruncanda peſte extra Urbem Templis dicatis.

148. Suſpicatur Auctor, Germanum Luthero, cujus puriſſimum Anagramma *ter-matris vulnus*, aut Calvino, cujus etiam puriſſimum Anagramma *ani ulcus*, adhærentem, qui SS. interceſſionem mordicus negant. De fama Calvini liliati, ideſt ferro candenti in lilii formam ſcapulas inuſti v. Les.

149. Bupalus Sculptor Chius, non pictor Clazomenius, ut male Acron Hor. Scholiaſtes, quod deformem ſculpſiſſet Hipponactem, & Lycambes, quod filiam Archilocho, cui deſponderat, negaſſet, ille Scazontibus, hic Jambis ad ſuſpendium adacti.

150. Quis neſcit Timonem Athenienſem Miſantropum, de quo Luciani feſtiviſſimus Dialogus? Hujus in horto ficus erat, in qua ſe anus ſeu deſperatione, ſeu tædio vitæ ſuſpenderat, quumq. ædes ampliaturus hortum vellet extirpare, præconem juſſit per Urbem edicere, ut qui ea ficu uti vellet, properaret, ne prolatando, occaſio illi deinceps ſe ſuſpendendi deeſſet.

151. Momus hominum, Deorumq. cenſor, qualis ab Imperatore Juliano in ſuis Cæſaribus, ſæpe etiam a Luciano in Dialogis introducitur.

152. Hercules quum Neſſi Centauri ſanguine infectam veſtem ei a Deianira miſ-
ſam

ſam induiſſet, tanta ſe quaſi cauſtica intrinſecus, & exterius vi correptum ſenſit, ut doloris impatiens, certus mori in pyram inſilierit.

153. Juvenalis, Horatius, Perſius, nec non Lucilius, Turnuſque, quorum nonnulla tantum ſuperſunt fragmenta; uti etiam Sulpicia Caleni uxor Domitiani ætate, cujus elegantiſſima etiamnum extat Satyra.

154. Martialis ex Bilbili Celtiberiæ Oppido, cujus adeo religioſe veſtigia proſecutus eſt Owenus, ut Anglus Martialis dictus merito fuerit. Declamatorium utriuſq. ſtilum cultiſſimus temperat Catullus. Certe celeber Navagerius Martialis declamatorium ſtylum, uti Petrarchiſtæ Marinianum tali odio proſecutus eſt, ut quotannis ſuo natali die Martialis libros undequaque conquiſitos, magna pompa, flammis damnabat.

155. V. not. 149.

156. Pontanus, ut Sannazarii ſub Actii Sinceri nomine ſuæ Academiæ adſcripti carminum amaritudinem notaret, ait:

Major in aſſumpto ratio quo nomine conſtet;
Eſt, ubi te cupiam fellis habere minus.

157. Præſul Sergardus ſub Sectani nomine famoſas elucubravit Satyras adverſus J. Vinc. Gravinam. Eodem uſus nomine quidam e Societate celebres Satyras ad Salmorium ſcripſit adverſus quamplures, coævoſq. litteratos viros, cui infelici fatis ſucceſſu reſpondit Bonamicus; idcirco ſequi di-

dicitur *non æquis paſſibus*, *pectore anhelanti*.

158. Nicolaus Piccinnus Satyras noſtra hac ætate ſcripſit æque latine, hetruſce, ac Neapolitana dialecto.

159. P. Caracciolus e Teatinorum familia, Averſæ exinde Epiſcopus, cujus Satyra adverſus effrœnem tunc temporis Nobilium libertatem ſat omnibus nota.

Urbe procul patria detentus tempore longo &c.

160. Grazinus, qui idem ac Laſca; Benedictus Manſini, Antonius Abas, ac Nicolaus Francus Beneventanus, qui Pontifice S. Pio V. mordacis linguæ, ac Satyrarum pœnas furca luit.

161. Taſſon Lepido Epici Poematis *della Secchia rapita* Auctor, ſanguinolentum omniq. acerbitate refertum ſcripſit librum, cui titulus *la tenda roſſa*, ex more Timurbek, vulgo Tamerlani, qui quum Urbem aliquam obſidione cingeret, primo die album vexillum proponebat, quod erat inſigne, ſe omnibus, ſi ea die ſeſe dederent, veniam daturum; altera rubrum explicabat, eo indicans, ſe omnes internecione deleturum; tertia vero nigrum, quo totius Urbis incendium minabatur.

162. Arioſtus Ferrarienſis clarus Satyris, clarior divino Poemate *Orlandi Furioſi*, nec latinus imi ſubſellii Poeta.

163. Hujuſce nomen conſulto reticetur, quippe religio eſt mihi, quemquam, niſi honoris ergo, nominare; eo magis, quod nu-

nuper mortuus, Auctorique jurato malorum hoſti ſemper pax cum mortuis.

164. Quis Pſalmum 108. devotionum, dirarumq. undique ſcatentem neſcit? eo ſæpe abuſa eſt ſuperſtitio, dum aut illum contra inimicos canit, aut pacta alios mercede ad canendum allicit.

165. Ægidius Menagius, quamvis Gallus, hetruſcam linguam ita addidicit, ut ea perquam eleganter ſcriberet. Idem hetruſcarum vocum magis reconditarum etymologiam perſcrutatus eſt; quam ob rem inter Academicos Florentinos, ſeu *della Cruſca*, cooptatus fuit. Hic acerrimum quum indixiſſet bellum Montimauro, quem Gargilium neſcio qua de cauſſa appellat, tympanotribam ipſe agens, præſtantiores litteris ſui ævi viros ſub ſua ſigna coegit, quos inter Valeſii, Balzachius, Bevilaquius &c.

166. Petrus Aretinus omnium thuſcorum Poetarum amarulenta dicacitate notiſſimus; at illi in omnes Europæ Principes maledicentiſſimo Petrus Strozza, quamdiu in Italia commoratus, os minis adeo obſtruxit, ut ne domo quidem per illud temporis egredi unquam auſus fuerit.

167. De eo V. adnot. 22.

168. Romanorum priſcis temporibus inſigne erat fœni manipulus pertica ſuſpenſus, exinde aper exertis dentibus; tandem Aquila: notumq. adverſus maledicos proverbium, *fœnum habet in cornu*, e ſigno, quod bovi cornupetæ apponebatur.

169. Ovidius Sulmonenſis e Getis, ubi

exu-

exulabat, diras cecinit in Ibin, quo ſub nomine adverſarium ſuum, quem nonnulli Hyginum ſuſpicantur, perſtrinxit.

170. Omnes fere Satyræ, quæ Romæ in lucem prodeunt, quod quidem frequenter accidit, ſub Paſquini ſtatua affiguntur; hinc vulgo dicuntur *Paſquinate*.

I.

I.

De Furcis Caudinis.

PArthenopem gelidis venit ergo binominis Iſtri
E ripis, quí nos noſtra docere valet?
Caudinas valuit nemo deſcribere furcas,
Queis ſuper Auctores digladiantur adhuc.
Auſpiciis Wilſek, graphice mirabere docto
Deſcriptas nitidis a Daniele typis.
Heic, poſitis armis, prognati marte, Quirites
Cum Ducibus miſſi ſub juga fœda ſuis.
Exortas Ida laniavit, dente retorto, (*a*).
Romanas Aquilas heic Diomedis Aper.
Samnitum liber ille perennius ære trophæum,
Quem nequeat ſcabro rodere dente Senex.

II.

(a) *Beneventi a Diomede fundati Aper, Calydonius nempe, ſlemma, cujus retortus libralis dens barbaris, creduliſque ſeculis monſtrabatur, quo Aquilas Romanas Troja oriundas antiquo Græcorum, et Trojanorum odio ingenioſe Vates diſcerptas ſcribit.*

II.

Ad Hyacinthum Draconettum.

ITe meæ pro me lauta ad convivia Muſæ;
Nulla tamen ſedeat; quæ ſatis eſca novem,
Abſumptiſque fame? ſic audit natio Vatum,
Qui ſemper panem ventre latrante petunt;
Et dicta Domino multa pro Vate ſalute
Ægroto, obſequii qui memor uſque ſui,
Illum excuſetis paucis ex tempore cultis
Carminibus, vobis nam bene vena fluit,
Quod, ſine febre tamen, jamdudum figit anhela
Quaſſato tuſſi pectore rheuma toro,
Quod depontanum, capularem flore juventæ
Convivas inter dedecet eſſe ſenem.
Maxillis ægrè lentis cerebella, medullas,
Et Cereris pultem vix molo, more bovis:
Frugali menſæ vix ſufficit hora; ſub ipſum
Inde ſolet ſomnus repere meridiem:
Veſpere mos vobis menſæ diſcumbere: noctu
Vix Arabum toſtis potio prompta fabis,
Averruncatur tota qua ſomnus ocellis
Nocte, magis vitæ, quam voco mortis, aqua.

Pie-

Pieridum uls numerum Convivis murmure magno
Tecta ſtrepunt, felis ſed mihi ſola comes.
Poſtquam *exempta fames* Æneæ menſa notatur (*a*)
Didonis *poſtquam prima quies epulis:*
Vivendi vates methodo tam diſpare, vobis
Conveniat? vates cui ſua grata quies?
Marmoreo ad menſam piſtillum mane paratur
Cum mortariolo, quo bene tundo dapes.
Radula, qua tenuis ſcobis inſtar raditur hornus
Caſeus Inſubris, ſive Senenſis agri.
Elixam, atque aſſam cultello in fruſtula ſcindo,
Et digitos cernent ungere ſæpe meos.
Ingenium, guſtem ut ſapidas edentulus eſcas
Scitus adinventis talibus exacui.
His inſtrumentis, qua magni nominis inter
Convivas menſis fronte ſedere queam?
Nec crebros ſileam ructus naſumq. fluentem,
Phy, lippis oculis more perennis aquæ.
Virgilium & Flaccum, queſtus ceu Cilnius, inter (*b*)

De

(a) *Virgilius his verſibus exprimit opiparam Didonis cœnam, & frugale Æneæ jentaculum ad Italiæ adventum.*

(b) *Notus Mæcenatis jocus, quum medius*

De vento audirem vos pluviaque queri.
Et ſolet ad menſam venter crepitum edere: lata
Claudius hoc (Vitam perlege) lege finit (*a*).
Et ferient aures tonitrus, graveolenſq. mephitis
Nares; St inculto degere rure putas?

III.

Ad G. Hamilton.

VErſibus Herois nuper translata Latinis,
Do Vates Veneri templa dicata Gnidi.
Aſſuitur veluti mantiſſa Cupido, reciſæ
Cui pennæ audaci, ſacrilegaque manu.
Hæc proſa quamvis Helicone Poemata panxit
Monteſquius, pota Bellerophontis aqua.
Tranſtulerat binos cantus dudum Anglus Homerus,
An-

dius eſſet inter Virgilium ructantem, quod crudus, & Horatium lacrymantem, quod lippus, ſe tempeſtate agitari vento & pluvia.

(a) *Quum in Claudii convivio Senator occubuiſſet, quod ventris crepitum retinuiſſet, Senatus Conſultum meditatus eſt ille, quo venia daretur edenti inter menſas ventris crepitum.*

Andina, longe quem ſequor ipſe, tuba (*a*).
Detrahere audentem in Germanum laudibus amplæ
Italiæ mixtum felle Poematium.
Cæſareæ Hiſtoricus do Commentaria latæ
Arboris ad numeros ſingula ſcripta ſuos.
Excipe jucundo Vatis munuſcula vultu,
Queis noſtri gratum pignus amoris habe.
At ſucciſivo libeat percurrere binos
Tempore, qua polles præpete mente, libros.
Dicturus, veluti Lugduni ex tempore, Rhetor
Palluit ad Rhodani lene fluentis aquas (*b*)

D Cal-

(a) *Duo Poematia proſa Gallica Monteſquius fecit, alterum Gnidi Templum, alterum Amor, cui dormienti pennæ reciſæ fuere. Hæc latinis heroicis verſibus tranſlata ſunt, duo tamen primi cantus a præſtantiſſimo Latino Poeta Angliæ Doctore Clancy, alios cantus tranſtulit noſter Vates; qui poſt tertium cantum perlongum etiam excurſum adjecit. In Poematio primus Interpres dicitur Anglus Homerus, quia, ut Milton, cæcus erat, ut ipſe Monteſquius refert Epiſtola ad Abatem Venutum.*

(*b*) *In concurſu Cathedræ Eloquentiæ Lugduni, qui male orabat, in Rhodanum dejiciebatur. V. Scholiaſt. Juven. ad illud*

Aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram.

Calliope ſeſe docti ſubitura ſeverum
  Siſtit Ariſtarchi pallida judicium;
Emunctæ qui naris, ocelli lyncis, & auris
  Purgatæ, metuens verſiculis obelos:
Siſtat, & Icarii ſero quam pœnitet auſus,
  Sponte ſua damnet ſe, veniamque petat.
Da veniam mage, per totam quum ſola vagatur
  Europam, Gallus Dux neque monſtrat iter (*a*).
Perque procelloſum parva, ſine pyxide, cymba,
  Abſque gubernaclo navigat Oceanum.
Et ſacrum veluti famoſis Pythia Delphis
  Ad Tripodem, Vatum more futura canit (*b*);

Et

(a) *In dicto excurſu tota percurritur Europa, & mare trajicitur ad Angliam uſque.*

(b) *Poetæ poſt Virgilium, qui Anchiſem Æneæ filio Romanorum caſus referentem in VI. Æneid. introducit, appoſito tamen tempore iſtius adventus in Italiam, & poſt Arioſtum, qui Eſtenſis Familiæ omnes res gerendas prædicit, diebus tamen Caroli Magni, feliciter futurum abſque ullo errore vaticinantur, ut facit noſter Auctor, quum refert omnes Europæ res & vices, a Monteſquii Poematis tempore, quod eſt circa Urbem conditam.*

Et veniam exoret, tragicas quum quinque Britannis (*a*)
Audaci ſcenas exprobrat eloquio.
Maniacoſq. animos, triſtes diroſq. peracri
Accuſat mores libera lingua ſtilo (*b*).
At meritis nunquam defraudat laudibus illos
Palladiis claros artibus, ingenio.
Oceani agnoſcit Dominos, Superum excipe ſponſum
Jam Venetis, toto figere jura mari (*c*).
Hos inter flores veluti roſa Vere roſeto,
Atq. micas ſudo, ceu Cynoſura, polo.
Cui libuit dulcem Thameſi præferre, tot annis,
Sebethum celebrem conjuge Parthenope;
Carminibus ditem Sebethum, pauperem at undis,
Qui minor haud Arno, Tibride carminibus;
Ad cujus ripas centum modulantur olores

(a) *Bolena, Howart, Gray, Stuart, quatuor Reginæ, quibus in Anglia fuit caput obtruncatum, & inde ipſi Carolo proprio Regi.*

(b) *Ob frequentia in Anglia ſuicidia.*

(c) *Hæc exceptio forſan continet acrem irriſionem ſolemnis Feſti Adſcenſus qui Venetiis magna navi ſponſaliorum Adriatici maris quotannis celebratur, quum in illud anulus projicitur.*

Carmina, quos inter rauca Caloris a-
nas (*a*).
Emenda, dele, caſtiga, corrige, muta
Pro libitu; pronum me, docilemq. ſcias;
Inficiatque omnes Auguſti ſpongia char-
tas (*b*),
Ni ſit Pomponii cerula rubra ſatis (*c*).
Fœdus emat demum Salſamentarius; errant
Annales Voluſi Vatis at ante oculos (*d*).

IV.

(a) *Calor flumen eſt, quod Beneventum noſtri Vatis Patriam alluit*.

(b) *Ad conſcribendam Ajacis Tragœdiam animum induxit Auguſtus, quumq. opus ei male ceſſiſſet, ſpongiam in eam induxit. V. Svet. in ejus vita*.

(c). *Cicero ſua opera recognoſcenda mittebat ad Pomponium Atticum, qui cera rubra ſignabat loca emendanda; idcirco ad eum ſcribens ait: timeo cerulas tuas miniatas*.

(d) *Catul. Annales voluſi c. charta*.

IV.

Ad Xaverium de Matthæis.

AD Siculos cecinit reſonante Theocritus Ætna,
Ad latias ſylvas Tibride Parthenius.
Actius e ſylvis ad littora traxit, & alter
Parthenius, culto carmine, Pierides (*a*).
Gloria Cordaræ, qui primus ad abſona ſylvis,
Littoribus Phœbo caſtra favente trahit:
Inter & armorum ſtrepitus, cæcoſque tumultus,
Dum tormenta ſtrepunt bellica, ſigna canunt,
Argutum tenui carmen modulatus avena;
Italus hic caſtris Orpheus alter erit.
In ſylvis Thracem quercus, & bruta ſequuntur,
Hunc facto caſtris agmine Pierides.
At vereor veſana ſequi ne caſtra puellas
Fas ſit, honeſtatis lege vetante, novem:
Vulgares inter lixas, vileſque calones,
Corruptis juvenes moribus, atque ſenes;
Turpia qui Veneris, non Martis ſigna ſequuntur,

(a) *Sannazarius primus piſcatores Eclogarum interloquutores facit, quum Theocritus, & Virgilius paſtores tantum. Sannazarium ſequitur Parthenius Giannattaſius, de quo v. n.* 13.

Et Genio effrontes nocte, dieque litant.
Qui Bacchum, Bacchoque ſatum de ſemine, verpa (*a*).
Arrecta, haud quaquam Numen inerme colunt.
Quis poterit Venere, & Baccho cohibere calentes,
Irruat in miſeras ne maleſana cohors?
Objecta Juno vix nube Ixionis auſum (*b*)
Evaſit; conjux illa, ſororque Jovis.
In vappas quid non auſurum militis œſtrum (*c*),
Inque patellares, Numina parva, Deas?
Nec minor ad nitidum laus eſt Interpretis Arnum,
Nomine ſub ficto qui latet Apronii (d).

V.

(*a*) *Priapum nempe, de quo v. Priapea.*

(b) *Nota eſt fabula Ixionis Junoni vim inferentis, quæ objecta nube, eluſit illius conatum, natique Centauri, proinde dicti Nubigenæ.*

(c) *De Diis infimi ſubſellii, ut auctor loquentem introducit Priapum.*

Nos Vappæ ſumus, et puſillæ culti
Ruris numina.

Quibus ſub dio ſine templo, ara, & Sacrificulo Villicus ſuper ceſpite patella ſacrificabat; proinde dicti patellares à Plau.

(d) *Traduxit elegantiſſimo verſu thuſco Latinas Cordaræ Eclogas, qui latere volens, ſuum hic mentitus eſt nomen.*

V.

Ad Cajetanum Ciccarellum de potione Ammericana, cum notis etiam metro ligatis.

TE mandante dedit libras ter quinque Poetæ (cocolatis.
Veſtalis, latia dicere voce vetor.
Quas referat tanto grates pro munere pulſans
Muſa Lyram, cantu ſed comitante ſonum?
Materiam graphice deſcribat, & illius uſum;
Nam Muſæ facilis, promptaque vena fluit.
Sex quater Ammerices glandis, ſed karake libras,
Silveſtrem vita cautus: amara nimis:
E Ceylan quod venit, amomi pende trientem,
Et libras bis ſex mellis arundinei,
Quod defæcatum Batavis, brumæque laceſſat (*a*),

 Quod

(a) *Et Siculum laudant: vellem guſtare, Lyæo*
Sed junctum preſſo colle Syracoſio.
Captus avaritia at (1) *Socius, chiragraq. laborans,*
Immemor antiquæ ſtertit amicitiæ.
(1) Ludit hic cum Ciccarello de communi Amico. *Ube-*

Quod candore nives, e meliore nota.
Totam opifex glandem glubat, ſubigatq. toroſa
Ad lapidem miſcens terq, quaterq. manu;
Suppoſito nigricans ut maſſa liqueſcat ab igne,
Inſtar & unguenti, caute calente, fluat.
Sex decies illa curet formare cylindros,
Chartaq. ſiccatos, mane ſequente, tegat.
Uncia diluitur calida, cui curta ſupellex,
Ut mihi, qui Phœbi ſigna decora ſequor.
Conſulto juris, Medico ſeſcuncia; ſextans,
Veſtalem abſolvit crimine qui facilis.
Oblongo ſtannoq. lito ter bulliat æris
Vaſe, foci ter deferveat igne procul,
Ad ſpumamq. diu verſet truſatile lignum;
Dum grato late fragret odore domus.
Ferventem ſubito, & ſpumantem miſſa remotis
Excipiant potum murrhina picta Sinis,
Munere Divorum potus mortalibus ægris,
Qui datus Europæ, ſecula lapſa duo.
Nam

Ubere nulla ſolo Siculi data munera Regni,
Iratus vellat Cynthius auriculas;
Contempto Chryſe punitos peſte Pelaſgos,
Iliadis primo fas memorare libro.

Nam reficit vires, ſtomacho ſuccurrit, & auget
Vim cerebro, cordi lætitiamq. parit.
Deficiat nunquam, primo ſi mane, Poetæ,
Haud curet riguam Bellerophontis aquam.
Caſtalii fontis ſed margine rauca coaxet
Rana, Viatorum tundat & auriculas.
Aſt adſit menſæ Græcino monte, Veſevo,
Herculis, Alliphis, Pauſilypoque merum.
Collibus haud Thuſcis, hic ſedem fixit Jacchus
Nysà; mentitur Muſa diſerta Rhedi.
Hanc etiam Pindo Aonias potare Sorores,
Argutus, nitido carmine, Strozza docet.
At Gangis ſiliquam miſcet nummatus odoram,
Ni fallor, præſtat ſed peruana magis.
Formatur pelagi quod ſpuma, aut ſpermate ceti
Auro penſandum ſuccinum, & oacacon.
Aſtringitq. gelu, quo mulſo prandia claudit,
Utq. Deum nectar laudat, & ambroſiam.
Inſomnem duces, ſi guſtes veſpere, noctem,
Namq. oculis, ala præpete, ſomnus abit.
Europa Ammerice donum debere fatetur,

Frumentum addatur grande novæ Cereris.
Febrifugo mira ad vomitum cum cortice radix;
Penſari at queritur tot bona ſyphilide.
Variolas illi, juſta mercede, rependunt (*a*):
Hæ pueros, juvenes, perdit & illa ſenes.
Inficit aut miſeros morborum mille figuris;
Utra magis nobis noxia ſcire velis?
Variolas omnes patimur, ni fallor, & omnes
Ex Adſcendentum ſemine ſyphilidem.
Tercentum ſi lapſi, quum hæc apparuit, anni,
Si gradibus conſtant ſingula ſecla tribus (*b*).

Quin-

(a) *Has nono, priſcis ignotas, Africa ſeclo*
Miſit in Europam; dite Charonte ſtipum;
Detulit Ammericem prima dein claſſe Columbus,
Intbiſera ut toto ſerperet orbe lues.
Parthenope celeris belli quum jure potitus
Carolus expulſis Gallus Aragoniis.
Gallica proin Italis, communi vace, vocatur;
At Gallis contra Parthenopea lues.
(b) *Ad ſexaginta quatuor, mirabile dictu,*

Si

Quincentos bis ſexq. dabit progreſſio dupli (*a*)

No-

Si teſſellatæ Palamedis grana tabellæ
Frumenti loculis toties duplicentur ab uno,
Undique diffuſus ſummi uſque ad ſidera Cæli,
Non capiet ſpatiis ingentibus aer acervum.
Calceet ut ferro, dum pergit Agaſo, veredum,
Ad Fabri patulam divertit mane tabernam,
Hic obolum primo pro clavo, fraude Sinonis,
Inde duos, duplicans viginti ad quatuor uſq.,
Expetit: acceptat legem male cautus Agaſo,
At ſolvendo impar, procul aufugit urbe, relicto,
Nam decies ſuperat ſextertia ſumma, veredo.

(a) *Triginta & centum gradibus diſtabimus ergo*
A primo terræ vitiſatore Noe.

Bis nonaginta ſed ab Adam: noſtra Sinarum
Annales falſos Biblia Sacra monent.
Diſpare Chronologus methodo debebit ad Adam,
Majorum totidem ſed numerare gradus.

D 6

Nono Adſcendentum (ſchemata calce)
gradu (*a*) .
Integra conficitur viginti ſumma duorum
Milleq., ſi primos enumerare velis.
Nutrices totidem liceat ſuperaddere , quarum
Infecto ſerpit noxia lacte lues. (*b*)
Si fuerint plures Nutrices , addere ſummæ
Ingenti totidem millia nemo neget.
Fuſcinulas , mappas , infectaq. pocula , ſellas ,
Afflatum , ſcaphium , lintea , balneolum (*c*).

Oſcu-

(a) *Pater* , *Mater*	2
Avi , *Aviæ*	4
Proavi, *Proaviæ*	8
Abavi , *Abaviæ*	16
Atavi , *Ataviæ*	32
Tritavi, *Tritaviæ*	64
Ulteriores Aſcendentes.	128
	256
	512
	1022

(b) *Rege ſatus languens , infecto lacte nefandæ*
Nutricis , medica vix ope vivit adhuc.
(c) *Exploſo veterum putri , quum ſemina paſſim*
Aere ſparguntur , ſparſa vel ova natant.
Contraxiſſe, ferunt , anima Ciniflonis , Janthem

Sed

Oſcula nec ſileam, queis immedicabile vi-
rus
Non raro corpus migrat in alterius.
In nos tranſtulerit qui virus, millibus ex
tot
Fas aliquem infectum credere ſyphilide.
Tartareæ peſtes, ſtygis erupere cavernis
Ultrici ſcelerum quæ duce Tiſiphone:
Humani generis queis damno immane Ma-
netis *(a)*
Pandoræ libuit vas cumulare Deo;
Illi non hominum tutela, ſed ultio curæ
eſt *(b)*,

Heu

Sed credat Verpus, non ego, ſyphilidem.
Et Majeſtatis damnatus crimine Volſey,
Quod ſteterit coram Rege, fluente lue.
Afflatu, tactu, ſcabies emigrat, achores,
Et mala cuncta cutis corpus in alterius.
Afflatu manant, liquidumq. per aera per-
gunt
Variolæ: in pueros inſitione meant.
Legati ſponſam morem Circaſſa Britanni;
Germanos, Gallos hæc, Italoſq. docet.
Sed veterum morum, curandis corde te-
naci
Vel morbis, non dum durus adoptat Iber.
Octavo decimo dum floret ſplendida ſeclo
Europa, undecimo marcidus ille jacet.

(a) *Æquales duo Dii, Manichæo dogma-*
te, quorum
Unus Mortales odit, & alter amat.

(b) *Uſque adeo approbatum eſt, non eſſe*
Diis

Heu ſuperat quantum Vejovis orbe Jovem !
Ille lupanari parcit, dum fulminat arces;
Et Superis paſſim templa dicata ruunt.
Extollit pravos Anitum, Melitumque, cicuta
Socratis epota carcere membra tremunt.
Pindaricas audax Elegia quid induis alas?
Imo Parnaſſi repere perge ſolo.

VI.

Diis curæ ſecuritatem noſtram, eſſe ultionem. Tac. in princip. Hiſtor.

VI.

Ad Can. 19. Inf.

ME ſacra chlamyde indutum, triplicique tiara
Ardua, dum vixi, redimitum tempora noſcas. (*a*)
Urſa progenitus, mores, animumque ferinum
Traxi, ditaremque meos ut divite gaza,
Infodi nummos ſub terra, meque ſub orco:
Plurima turba jacet me ſubter corpore plano,
Quæ me, Simonem propius ſectata, præivit;
Quo recidam, veniet tetro de carcere frendens,
Ut rabioſa canis, quum Cajetanus in orcum (*b*),
Quem, procul audito modo te, veniſſe putabam,
Exuſtis plantis, inverſo vertice fixus,
Ceu

(a) *Nicolaus III. ex Familia Urſina loquitur, qui mortuus anno* 1280.

(b) *Bonifacius VIII. ex Familia Cajetana, de quo S. Cæleſtinus V. ait: intravit ut vulpes, regnabit ut leo; morietur ut canis; in rabiem enim, & furorem actus, poſtquam Anagniæ carcere liberatus Romam rediit.*

Ceu vallus terræ ; luſtris nec quinque jacebo ;
Explebit vix ille tamen trieterida quartam :
Occidui veniet Paſtor regione remota (*a*) ,
Qui Cajetanum deturbans nos teget ambos .
Emit ab Antiocho ſacras Judæus Jaſon (*b*)
Ut vittas , claves emet hic a Rege Philippo ;
Bile tumens fatus cui libertate decembri ;
Dic mihi quid Petro claves quum traderet ambas ,
Utque ſuas nutriret oves ſibi pactus Jeſus ?
Nil aliud certe , niſi quod ſequeretur euntem ;
Nec Petrus , aut ſocii argentum petiere , vel aurum ,
Matthias quum per ſortem ſuffectus Judæ ,
Obtorta fauces qui cannabe ſtrinxerat : ergo
Fixus humi maneas , male parto pervigil auro

In-

(a) *Clemens V. Gallus , qui in Gallia Papalem Sedem fixit , permanſitq. ſeptuaginta annis . Romani ſeptuaginta annorum captivitatem Babylonicam vocant .*

(b) *Nota eſt Hiſtoria veteris Teſtamenti de Pontificatu Jaſonis ab Antiocho empto .*

Incuba, eò fretus, tu terræ filius auſus (*a*)
Agnato juveni regalem ambire maritam,
Paſſus & a Carolo probroſam Rege repulſam;
Mox erexiſti furiato cornua vultu.
Ira miniſtraret magis acria carmina Vati,
At linguam cohibet Sanctæ reverentia Sedis,
Quam, licet indignus, calcaſti pluribus annis.
Omnia turbantur miſere, dum veſtra cinædos,
Lenones, ſcurras, balatrones fœda cupido
Tollit ad aſtra, bonoſque ad lurida tartara trudit.
De vobis ſacri narratur fabula Vatis,
Cum meretrix puras criſſans ad Tibridis undas
Viſa coire, nefas! cunctis cum regibus orbis.
Illa quidem tetigit ſepteno vertice Cælum,
Et bis quinque potens erexit cornua, veram
Virtutem conjux dum puro corde ſecutus,
Ar-

(a) *Affectavit Nicolaus III. Regiam affinitatem, petens uxorem Fratris Filio ex Regis Galliæ Familia, repulſamque paſſus, quum ei Carolus reſpondiſſet, nunquam lilia aurea inquinata plebejo Sacerdotum ſanguine: unde orta diſcordia inter eos.*

Argento , atque auro finxiſtis Numina , pulchras
Ut ſileam veneres , queis cernua genua plicatis,
Quanto pejores idola colentibus! unum
Illi , vos colitis ſed proni millia centum.
Eheu quot peperit mala , Conſtantine , bonorum,
Et lati imperii in primum profuſio Patrem :
Non jam quod macula lotus luſtralibus undis .
Inflatis ego dum profarer talia buccis ,
Volturis interni roſtro laniatus aduſtas
Motabat plantas iratus filius urſæ.
Alteram lacunam expletam V. num. ſeq.

VII.

VII.

Ad Cam. 27. Inf.

QUum gereret Summus crudelia bella Sacerdos,
Non in Judæos, Arabes, Babylona ſuperbam,
Auroræ non in Populos Idola colentes;
Aſt in Chriſticolas dulces ad Tibridis undas,
In ſua convertens maleſanus viſcera ferrum,
Officium nec mite ſuum, nec munia ſpectans
Paſtoris, nec cinctus ego quod cannabe torta,
Apta prius caſtos renes, dein ſtringere fauces.
Ut Conſtantinus Silveſtrum monte Faliſco
Conſuluit ſupplex, ut mundaretur ab atra
Mox elephantiaſi, ſic me malus ille premebat;
Sed tacui, cæli vos lucida ſidera teſtor,
Ebrius ille mihi nam viſus, & impete cæco
Ambitionis in avia tractus, at ille, futuræ
Abſolvo nexu culpæ, pœnamq. remitto;
Si tu Præneſtes doceas quibus artibus æquem
Mœnia celſa ſolo, Præneſtinoſq. rebelles.
Exuperem nec jam refert virtute, vel aſtu:
Mene poli reſerare fores & claudere neſcis?

VIII.

VIII.

Ad Eleonoram Fonſecam Pimentel.

IN promptu thuſco te reſpondere paratam
Carmine, Ricciardus ſcribit epiſtolio.
Purgatas dulci quamprimum mulceat aures
Ad citharæ cantu Muſa diſerta ſonum.

Ad eandem.

Alcyonum venere dies; ad carmina Muſas (*a*)
Pauſilypi læto colle vocare juvet;
Quum Genio paſſim, Baccho, Phœboque litatur;
Muſarum hi fratres, fidus at ille comes.

Ad eandem.

Auriculas tundit ſtrepero cis garrula cantu,
Uls fluvium Locris muta cicada ſilet (*b*):
Mulceat auriculas ut dulci carmine Vatis,
Mox fluvium rurſus prompta Camœna vadet.

Ad

(a) *Alcyonum. V. Metam. Ovid. in Alcyon. vulgo* eſtà di S. Martino.
(b) *Locris cicada cis muta, ultra fluvium vocaliſſima.*

Ad eandem.

Luna ſemel latuit, patuitque argentea Cælo,
Dogmate Pythagoræ dum tua Muſa ſilet.
Non tu Muſarum certe, Phœbique Sacerdos,
Ad Pharii templum ſed facis Harpocrati (*a*).

Ad eandem.

Cynthia bis latuit, pleno bis orbe refulſit,
Nec promiſſa mihi carmina mittis adhuc.
Furcillis te fonte ſacro jam Phœbus abegit
Rite interdictam longius igne, & aqua.
Tertius en lunæ prope metam curſus, & aures
Clamem etſi ad ravim, cera liquata tuas (*b*)
Obſtruit, ut cautus ſociis obſtruxit *Ulyſſes*
Ad Sirenuſſas, Troja Ithacam repetens.

Ad eandem.

Hactenus ut velites præmiſi diſticha, duram
Phyllida ut expugnem vi Legionis opus.
Ha-

(a) *Harpocrates Ægyptius Deus Silentii.*
(b) *V. Homer. Odyſſ.*

Haſtatam potius juvat appellare phalangem,
Orbem Pellæus qua domuit Juvenis.
At capripes Momus rabidis armatus Jambis
Adſit, & ad nutum tota petulca cohors.

Ad eandem.

Tardigradus fungos autumno, vere novellos
Ricciardus mittet, nec tua Muſa parit.
Fert utero binis cum fele canicula lunis,
Quinque capella, bidens; bos, mulierque novem.
Undecimo mulum prægnans equa menſe; Libyſtis
Bis elephas ſexto, quo tua Muſa parit?
Fert utero tua Muſa molam, nec parturit unquam,
Ut morbum curet, Quaglia vocandus erit.
Lapſum Martini feſtum geniale, placentis,
Scriblitis, ollis pinguius opiparis.
Inflantes utrem ſacrum ad Præſepe tulerunt
Paſtores Puero ruſtica dona Deo.
Oblatiſque illi myrrha, auro, thure, Sabæam
Ad patriam Reges tres rediere Magi.
Evohe clamando, dum Bacchanalia fervent,
Lymphatus paſſim Civis in Urbe furit.
Feſtinatque decem quater eſuriale dierum
Tem-

Tempus, & ad menſam jam ſacer agnus adeſt.
Soles, hebdomadas, menſes expecto, peregit
 Luna ſuum ter iter, Mercuriuſque ſemel.
Expectemne, ſuum peragat dum menſibus octo
 Mane nitens, æque veſpere, ſidus iter?
Zodiaci bis ſex luſtret dum ſigna coruſcis
 Quattuor excurrens tempora Phœbus equis?
Et binos Martis, bis ſex Jovis anxius annos
 Sidera proſpectans nocte teleſcopio?
Saturni demum triginta? tardus hic alget
 Ultimus ignito ſole Planeta procul.
Expectemne tuum feſtum trieterida, quod te
 Excoluit gremio docta Minerva ſuo?
Eleas, an Olympiades, & luſtra Quiritum?
 Aſtrologi an Climactericus annus erit?
Omine ni lævo ſit Climactericus ingens (a),
 Quo lapſo Auguſtus lætitia exſiliit.

Mu-

(a) *Anni climacterioi minores 7. & 9. quando coincidunt in 63. eſt climactericus major, qui vana Aſtrologorum obſervantia homini habetur funeſtus. Auguſtus certe, eo elapſo, gratulationis officiis, quæ Senatus ei, ceterique ordines præſtitere, ſummopere lætatus.*

Muſarumque novem numero , vel forſitan
annos ,
Verſiculos Flacco queis monitore premas?
Laomedontiadis quot lamentabile Regnum,
Erutaque ob raptum Pergama Tyndaridis?
Anne decem, ter quinque, aut vicennalia, & ultra,
Cæſaribus Romæ feſta dicata ſuis?
Errarunt aut quot miſeri per devia Verpi,
Quum paſti dio rore pluente diu?
Quot Carpetanis ægre tua Patria triſtis (*a*)
Paruit, Henricus quum ſine prole perit?
Sabbaticum Moyſis, Sanctum Bonifacii & annum (*b*)
Contractum ob quæſtum ter male Pontificis?
Undenos decies Romæ celebrata per annos
Spectaclis, ludis Secula magnificis?
Anne quot ob noxas, triſtes Babylone remota (*c*)
Sub duro Iſacides ingemuere jugo?
Ægypti vel quot ſudarunt ubere gleba
Durato bis ſex ſub Pharaone Tribus?
Pri-

(a) *Luſitania Carpetanis paruit ab anno* 1580. *uſq. ad annum* 1640.

(b) *Quis neſcit Magnum annum Sabbaticum Moyſis; Annos Sanctos Pontificum, ludoſque Romanorum Seculares?*

(c) *Babylonicæ Sac. Script. Captivitati Pontificum Avenione manſionem Romani æquiparant.*

Prima quot, infandum ſcelus! Avenione ſuperbi
Sub Galli ſedes marcuit imperio?
Mathuſalem, primi vel Viriſatoris ad annos
Excurram? volitet Pieris ulterius?
Platonis remanet circum illa volutio, curſu (*a*)
Annorum volvens millia multa ſuo.
Tarpejum interea ruet alto e culmine Templum,
Cumque polo terras deſtruet una dies.
Dies iræ, dies illa &c.

Ad eandem didodecaſtichon ex tempore.
Palinodia.

AD ſacras Heliconis aquas palinodia prompto
Carmine, perfricta fronte canenda mihi.
Audaci veniam da Vati, parce precanti,
Aures offendit quod mea Muſa tuas.
Verſibus attonitum, denſa ceu grandine totum
Obruis, aurato meque tridente feris;
Atque trium generum das carmina culta; tricordem
Te merito ut verus dicere jure queam.
Proque morâ, largo ſortem cum fœnore pendis,
Et libuit pœnam ſponte ſubire tua:
E Et

(a) *Omnibus nota Platonica circumvolutio.*

Et fauſta fœtum Lucina , an Apolline ? Pindi
Culmine tergeminum Muſa diſerta parit.
Quæ veneres, chariteſque ! lepores undique ſpargit,
Et lepidos chartis attica Muſa ſales.
Cum Flacco faſces ſubmittat Pindarus ipſe;
Ipſa mihi Pindo viſa Thalia loqui.
Purgatas doctis mulſiſti verſibus aures,
Largius epota Bellerophontis aqua.
Non opus at magico Medeæ carmine , & herbis,
Queis juvenem coctis Æſona reſtituit.
Non athletarum, pugilum, juvenumque, ſed acris
Ingenii vires iſte requirit amor.
Scitque pati ſocium ; quæ bis ſex luſtra peregit,
Permittas , quod anum Baucida fidus amem.
Men celebrare tuum mandas male carmine nomen
Andina dignum , mæoniaque tuba ?
Te Bavius ? Longe cycnis quæ Tibridis, Arni,
Te gelidi cantet rauca Caloris anas ?
Sebethi ad ripas ubi , vicinæque Labullæ
Garrula cænoſis rana coaxat aquis.
Conabor vires ultra , colloque retorto
Ad citharam Phœbum , Pieridaſque traham.
Uls Apenninum Eleonoræ clara volabit
Jam ſeptem ad colles Fama , canente tuba.

Trans

Trans mare præpetibus, Scyllam, vitanſque
Charybdim,
Ad Siculas alis pergere juſſa plagas.
Clarior ad gelidas Alpes, gelidamque Pyrenem,
Ad Rhodanum excurret, mox patriumque Tagum.

IX.

Ad Aloyſium Medicem Kal. Quintil.
1782.

ORavit cauſſas, jus dixit, deinde Senator
Orbis provectus Cæſar ad Imperium.
Ne dubita Medice prodire ad roſtra, ſeveras
Artes quem docuit Pallas amica ſuas;
Mercurius Suadam, ſublimia carmina Phœbus,
Quilibet e Superis & ſua dona dedit;
Mentor at Hippolytus, ſacras qui ad Præſidis ædes
Deduxit nuper primus, & inde Forum,
Et Curatorem, luſtris vix quinque peractis,
Conſtituit Juvenem præcocis ingenii.
Patriciis plaudunt cum ſanis Ordo, Senatus,
Plebs; lenis noſtro cum Jove Juno favet.
Et magni fauſtis navim propellis in æquor
Demarchi auſpiciis, qui tibi Caſtor erit (*a*).
Macte tua virtute, tui virtute Leonis (*b*),
Par-

(a) *March. Demarchus, de quo ſupra, illum ad forum animavit.*

(b) *Leo XI. Mediceus ex hujus ramo: Leo X., & Clemens VII. e ramo M. Ducis;*

Parthenopes niteas, ut cynoſura, Foro.
Quam primum virtus tua dux ad grandia Regni
Munia, fortuna ſed comitante, vehet.
Tutetur Regnum Germanus ab hoſtibus armis (*a*),
Tute toga cives legibus uſque regas.
Ad ſeptem Colles, ter ſex jam ſecla peracta,
Cedant arma togæ; Tullius intonuit.
Excipe jucundo mea vultu carmina, pronis
Auribus, & Vatis ſis memor uſque tui.
In Mediceorum cor, Mæcenatis abivit,
(Æque quum thuſci) munificus Genius.
Magnificos memorem, ſed ſolo nomine, Coſmos,
Laurentem, Hippolytum, teque benigne Leo?
His quantum debent Muſæ, quantum Itala tellus (*b*)!
Agnatis ne ſis degener ipſe tuis (*c*).

---

cis; Pius IV. vero ad Mediceos Mediolanenſes pertinet.

(a) *Ejus germanus frater Octaviani Princeps, Tribunus in Legione Liparæa.*

(b) *Quis neſcit, Coſmos, Laurentem, Hippolytumque Mediceos, maximos litterarum fautores?*

(c) *V. ſupra not. B.*

Ad eundem Kal. Maij 1783.

EVenere : ſuum decies vix candida pleno,
Aut mutilo cornu Luna peregit iter,
Dicundo quod jure Viros ſex providus inter
Deligeret te Rex, quum ceciniſſe memor.
Conſultos juris, puteal, gentemque togatam
Jam decoras, roſtris quantus & auctus honor!
Crede mihi, Medice, reliqua eventura; tenaci
Propoſiti tamen hanc corde capeſſe viam.
Numine fatidico Vates afflante, quis unquam
Nos de venturis dicere vera neget?
Exauctorandum Caſtris, & quinque Theatris (a),
Mox Quæſitorem garrula fama refert,
Quod depontanus, vietus, ſilicernius, æger,
Jamdudum conſtat nec ſibi mente ſatis;
Te tam conſpicuo, tam grandi munere fungi
Prudentem, navum, patriciumque decet.
Quod decus addetur, tam claro ſidere, Sanctæ
Concilio Claræ, ſex quater inde Virum!
Qui-

(a) *Rumor erat, Judicem militarem Dactylum ob ſenectutem exauctorandum.*

Quinque-Virum, celeri mox curſu; ſummus honorum
In Famæ Templo nec tibi tactus apex.
Fallor? an aurato vectum trans æthera curru
Cerno? regit celeres ſedula Pallas equos.
Trinacriæ Prorex gemmata torque decorus (*a*)
Stellato facilem ſtravit in axe viam.
Ad Moſchos & qui Legati munere functus (*b*)
Indice virtutis nobile monſtrat iter:
Cognomen cui dat Nutrix Æneia, nomen
Scævola, clarus Avis, ſe magis, et propriis
Effulgens meritis: cumulatus honoribus amplis
Petropoli ad patrios en redit ille lares.
A dextra Themis, & Juriſprudentia, lævam
Fas vidiſſe fuit; viſa referre licet.

(a) *March. Caracciolus e Vlviro J. D. Siciliæ Prorex, functus tamen antea erat legatione ad Anglos, & Gallos.*
(b) *Mutius Cajeta Dux S. Nicolai ad Moſchos Legatus; ſinonymus cum Æ nea nutrice.*

Ad eundem id. Septemb. 1783.

JAm ſaris tria verba foro, jam ſede curuli
Jus dicis; plaudunt Curia, Plebs, & Eques.
Lætor ego; ſubitoque paratam Colle Salutis
Ablego facili carmine Calliopem,
Quæ te conveniat bis, quum toga ſumpta virilis,
Et tegeret talos quum toga longa tuos.
Hæc multam dicat grato pro Vate ſalutem,
Et memoret fidi pectoris obſequium;
Excuſetque illum, luſtris bis octo peractis,
Ni coram tali fungitur officio.
Colle ſalutifero multis quod Villula, dudum
Degit ubi, ſtadiis diſtet ab æde tua;
Copia nec currus; currum quid nomino? curto
Vix poterit fœno parcus aſellus ali.
Hæc Vatum merces, hæc larga ſtipendia Pindi
Militia emeritis præbet Apollo ſuis.
Gratia ſit Muſis, Legum quod meſſibus amplis,
Auriferoque ſenem diſtinuere foro;
Intexta adlectum daphneide fronde corolla,
Arguto cantu, dulciſonaque chely;
Deceptum famæ, dulciſque cupidine laudis,
E rigui ſacra Bellerophontis aqua;
Ut ſterilis colerem Pindi juga bina, ferendo
Lau-

Laurifero flores, non alimenta, ſolo.
Arbuta Parnaſſi frondes, ſine fructibus ullis
Producunt flores, & ſine fruge ſolum.
Non ibi Triptolemus curvum monſtravit aratrum;
Alma Ceres fruges, nec ſata culta Pales:
Non vitem Bacchus plantavit, Pallas olivam.;
Deſes Ariſtæus non ibi curat apes:
Nec pulcrum Corydon ardens maleſanus Alexim,
Ruſtica dum cantat carmina, paſcit oves:
Tityrus haud capras, haud vaccas paſcit Jolas;
Alconi in ſilvis nullaque cura ſuum:
Non mercaturam, aut Suadam, diteſcere poſſent
Queis Vates, lævus Mercurius docuit.
Hinc inopes omnes, obolum nec carmine ſperant;
Numine & adverſo Panis ubique jacent.
Detritis caligis, & veſtibus undique, ſolum
Hinc illi panem ventre latrante petunt.
Afflatique alvum, ſtygiis Ereſichtonis Umbra
Ex antris, pereunt gentium ubique fame.
Aſt ego ſigna ſequens ſtultus Phœbeia, ſucco
Parcus alor, veluti concha marina, meo.
Divite non cenſu, nec curto a Patre relicto,
Frugalem ad menſam qui ſatis, eſtque ſuper.
Longæva vita, quod laudi duco, nec auxi

Sordidus, aut illum prodigus imminui.
Pœnitet heu! ſero, triſtis quum repſerit ætas,
Effœtus damnum nec reparare queo;
Munificum Genium tu Mæcenatis ab aſtris,
Et Mediceorum tu revocare potes,
His ortum pateat late dominantibus Arno;
Aruit hui! ramus, luſtra peracta novem.
Extra propoſitum ſed quo me proripit œſtrum?
Ad rectam redeas, garrula Muſa, viam.
Perge bonis avibus, ſincero corde, Patroni,
Cauſidici plaudunt, Actor, & ipſe Reus.
Ordo Scribarum ſummis te laudibus effert,
Et nomen cæli tollit ad aſtra tuum;
Quod non difficilis pateat tua janua ſemper
Omnibus, & nullus Janitor ante fores;
Qui niſi porrecta, veluti Styge Cerberus, offa,
Introgredi miſeros voce minante vetet.
Ore renidenti Rabulas, plebemque benignis
Alloqueris verbis, abſque ſupercilio.
Herculis auratæ Celtæ ſic ore catenæ (*a*)
Prodibant, populi corda ligata quibus.
Quam

(a) *Hercules Celticus Celtas incultos, ferarum more degentes, eloquio ad ſocietatem redegit, quaſi catenulis aureis ex ore prodeuntibus, uti eſt Alciati emblema ex Horat.*

Mercuri facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum decora
Voce formaſti catus &c.

Quam primum hinc merito te ad grandia munera Regni
Parthenopea ſuo cum Jove Juno vehet;
Et Marcus, meritum pendens qui lancibus æquis,
Præmia; cumque togis munera diſtribuit.
Eja age, tempus adeſt, quo gaza navis onuſtæ
Fas clavo teneras applicuiſſe manus.
Deliciæ populi Citus hinc tibi Præſes adhæret (*a*),
Inde Peregrinus; ſanguine junctus hic eſt.
Dantque manus æque Zurulus, Judexque Palati,
Gnoſiadum imbuti legibus a pueris:
Nec qui deduxit primus te ad roſtra, diſertum
Hippolytum vecors Muſa tacere velit.
Sedulus exemplis horum moveare, Minervæ
Proſtet at ante oculos ſemper imago tuæ;
Hac duce, fortunam non dedignatus, honoris,
Et Famæ ad Templi culmina carpe viam.

(a) *Præſes Balthaſſar Citus, ac Præſes Peregrinus Antonius Spinelli, quem ſanguine junctum ait Auctor, quod duarum Petri Toletani Proregis filiarum altera Mediceæ familiæ nupta, altera Spinellæ; imo tertia inter ipſos orta cognatio, ducta ab ipſo Petro Prorege Spinella. Princeps Zurulus, ac Princeps Dentice tunc inter Aulicos Judex, vulgo Algaido.*

Ad Eundem.

RUre ſuburbano libet ablegare canoro
Ad Medicem quartam carmine Pieridem.
Prætexta exutum, volventem mente Joannis (*a*)
Gentilis bello jam nigra ſigna ſequi,
Ad Themidis fauſto quum Templa, Forumque diſertus,
Auſpicio docilem tranſtulit Hippolytus,
Miſſa Thalia: Viros dicundo jure quod inter
Sex, data talaris mox toga, Calliope:
Melpomene, fandi data quum tria verba poteſtas:
Huc celeri penna nunc ades Uranie:
Ad Mæcenatis ſat noti limina dulcem
I pulſans, cantu ſed comitante, chelym.
Atque ſalutato referas, quod gratulor inter
Sex quater adlecto, vix fruticante gena:
Juſque illis dicat, qui Caſtra, Aulamque ſequuntur,
Quinqueviros inter, ſidus ut axe novum.
Mi-

(a) *Joannes Mediceus ſui temporis M. Dux* (delle bande nere) *quem niſi immatura mors rapuiſſet, primis certe Græcis, Romaniſque Ducibus comparandus fuiſſet. Fuit Vexillifer S. Sedis.*

Militis in populum repreſſa licentia tandem;
Furtaque patrabit nec piceata manus;
Legibus & parens alienum ſolvere diſcet
Aulicus æs, nulla poſtpoſitaque mora.
Legabo reliquas ad ſingula munera Muſas
Officio promptas, dein Charitumque chorum.
Virtutum remis tamen impellentibus, alti
Tranſveheris pennis nubila præpetibus.
Carminis auctorem legabo denique Phœbum,
Grandia cum Muſis qui tua geſta canat.
Emenſo curſim per ſingula ſigna forenſi
Zodiaco, ſummis Relligione, fide,
Legatum rapidis te Sequana, tardus Iberus,
Proregem nitidis optat Anapus aquis.
Parthenopem ſenior repetes, & Regis adhærens
Jam lateri, felix hinc duo Regna reges.
Exemplo præeat lapſus Caracciolus aſtris,
Quem gremio fovit Pallas amica ſuo.
Sirenis dudum profugam revocavit in Urbem
Aſtræam, & nunquam navus abire ſinet.
Auſpice quo, flavus Sebetho Tibris, & arcto
Jungetur Romæ fœdere Parthenope.
Mittendum te Fama refert hinc garrula Romam;
Aptior haud alter dexteritate, fide.

Pon-

Pontifices id tres Mediceæ gentis amœnis (*a*)
Expectant a te ſedibus Elyſii :
Clavibus expectat Petri Vexillifer aureis (*b*) ,
Agnati par veſtigia ſancta ſequi .
Pax ſacro Themidi nexu conjuncta beatam
Æterno reddet tempore Parthenopem .
Eveniet : Vatem nunquam cortina fefellit ,
Fatidicum Vates pectore numen habent .

X.

(a) *Leo X.* , *Clemens VII.* , *Leo XI.* , *de quibus ſupra* .

(b) *Joannes Vexillifer S. Sedis* , *de quo etiam ſupra* .

X.

Ad Marcellum Celentanum.

RHegini phialas albi tres mitto Lyæi;
Sex offas calami melle, citroque litas:
Ter bibe; Pauſilypum nec fas excedere; binos (a)
Ni ſoles, etiam nocte, videre velis;
Offas mane tamen decocta fronde Sinenſi,
Aut Arabum toſtis veſpere ſolve fabis.

Epicedium ejuſdem.

HÆc ergo poſtrema dedi munuſcula vivo?
Luſtra octo colui quem ſine diſſidio.
Primævo tenera lanugine flore juventæ
Gemmabat roſeis aurea barba genis
Vix tibi, quum Vati notus fauſta alite, ſtrictus
Noſque inter ſacræ nodus amicitiæ:
Ad juga deduxi primus prærupta bicornis
Parnaſſi, & riguam Bellerophontis aquam:
Qua dextro tendit Palamedis littera cornu,
Di-

(a) *Pauſilypum dictum tertium poculum, quod primum pertineret ad ſitim, ſecundum ad guſtum, tertium ad hilaritatem.*

Direxi dubium dux ego primus iter :
Formavi rectos mores, rexique juventam ;
Tu mihi Telemachus, Mentor at ipſe fui.
Addictum hinc Themidis ſacris mirata tonantem
In roſtris Periclen inclyta Parthenope ;
Neſtorea ſed mel lingua ſtillabat ; ad Hyblæ
Quod juga carpit apes ingenioſa thymo.
Quumq. fores ſellæ, dicundo jure, Curuli
Vicinus, ſtamen livida Parca ſecat.
Dum tenui, plauſus inter, meditabar avena,
Parthenopes miti carmina grata Jovi ;
Singultus inter, tumulo ſilicernia, ſacro
Et cineri flores, Inferiaſque paro.
Nænia nec deerit, funebri carmine noctu,
Diſcordi cithara, flebilibuſque modis.
Elyſii meritum ſeu te, Sedeſque beatæ,
Heroes inter, ſemideoſque tenent,
Sidere ſeu proprio ſtellata galaſſia magnis
Potantem cum Diis nectar, & ambroſiam,
Hac ærumnarum me reſpice valle gementem,
Deliciaſque inter ſis memor uſque mei.
Non Lethes certe potaſti fluminis undam ;
Ad placidos alia pergitur Elyſios.
At mea quum rumpet fatalia ſtamina Clotho,
Te verſum, penna præpete, læta volet
Corporeis anima e vinclis, arctiſque ſoluta,

Im-

Imparibus quantum ! nexibus , aura velut.
Aeraque emenſæ, nubes, liquidum æthera, cælum
Occurres celeri nobilis umbra gradu,
Inter & amplexus, ulnis ambabus, inhærens
Ore ori, figes oſcula mille genis.
Interea me flere juvat; Sebethus amaris
Labentes lacrymis augeat altus aquas,
Ad ripas dulces aluit quos ſemper olores
(Hos inter gelidi rauca Caloris anas)
Parthenope, florens Academia, Curia, luctu
Peucetia muta, carmina mœſta canant;
Lugubrique ſono concham Polyphæmus aduncam
Inflet, quo reſonent Echia, Pauſilypus,
Sebethus, plorent Nynphæ Sebethides, Ebo,
Atque Helenæ fratres; Phœbus, & alma cohors.
Sciſſa comas, laniata genas Elegeia ploret,
Labantur lacrymæ, more perennis aquæ.
Unanimis hui hui Marcellus obivit acerba
Morte; capax nomen movit & urna ſuum.
Sacratum Muſis eheu caput efferà quinta
Vis morbi dios miſit ad Elyſios.

Quam

Quam morbum, mortem ſcivi prius; unde Sodalis
Omne pium, pudeat, defuit officium;
Defuit ultimum have atque vale, nec lumina dulci
Hac vita caſſo claudere poſſe datum.
Ordine turbato Juvenis legata reliquit
(Nos inter ludit ſic libitina) ſeni;
Ambitam rutulis onychem ter quinque pyropis;
Et quæ ſeligerem biblia multa dedit.
Jugia crudelis quæ irritamenta doloris,
Affecto Vatis pectore ſemper erunt.
Depontanus ego, vietus, ſilicernius, æger
Florenti verſus, Inferiaſque dabo?
Effœto, exſucco, capulari triſtia vitæ
Stamina cur ceſſas rumpere, Parca, mihi;
Ne tot amicorum vivax, & cruda ſenectus
Funera continuis fletibus uſque gemat?
Vix illis Stephani, nec juſto funere, ſiccis;
En iterum gemitu lumina feſſa madent.
Jam geminos flevi, vicino funere, Mauros;
Par Themidi gratum, Pieridumque choro.
Fernandum, Pepem, Donatum, denique Bellum
E Thuſcis, columen, præſidiumque meum:
Ut reliquos ſileam, junctos & ſanguine, vita
Longæva, immitis quos libitina tulit.
Solamen cordis rapuit mors invida, vitæ
Delicias, animæ dimidiumque meæ.

Nos

Nos animis junxit ſemper concordibus ambos
Antiquæ dulcis nexus amicitiæ.
Haud aliter fidus Pyladem dilexit Oreſtes:
Haud aliter fidum Theſea Pirithous.
Proin, reget infirmos mœrens dum ſpiritus artus,
Uſque gemam. Prohibet dicere plura dolor.

XI.

Ad March. Jo: Bapt. Rotundum.

EXpunꝭto, Petri Feſtum ſollemne, Quirino,
Dum redit, & fauſto ſidere læta dies;
Pontificis redituque, & itu felicibus, icta
Pace Sacerdotes inter, & Imperium:
Dum reſonant ſeptem feſtivo murmure Colles,
Tibris & inſperſis undique gaudet aquis,
Roma triumphali paſſim per lucida pompa
Compita, dum feriens æthera clamat io;
Turmatim cernens, ornat quos purpura priſco
More viros amplos; Regibus anne pares?
Mille lucernarum Templi faſtigia circum
Torque micant clarum nocte ferente diem.
Anguibus ignitis gravidæ, bombiſque tonantes
Volvuntur, flamma verſicolore, rotæ.
Fulmina Salmoneus imitatus ab arce laceſſit
Fulgetro, tonitru cælica regna Jovis.
Sebethuſque Pater Tibri dum plaudit amico
Cum dulci longe conjuge reddit Io.
Tu mecum, Velitræ, Beneventum denique mœſtum;

Ad

Ad Pindum Phœbus, Pieridumque chorus;
Lugubri reſonant Parnaſſi carmine valles
Diſcordi cithara, flebilibuſque modis;
Borgia quod meriti fraudatus honoribus oſtri;
Ipſa replet cælum queſtibus alma Themis.
Æquanimis, contentus honores ille mereri,
Sollicito ſed non pectore, ni aſſequitur;
Æqualis, faveat, ſeu ſors adverſa minatur,
Cui conſtans virtus tempus in omne comes.
Fatidicis Vati Delphis quid vana canebas
Ad Tripodem falſo Pythia plena Deo (a)?
Dii male te perdant, & longa ſilentia linguæ
Indicant; templis Harpocratiſque dicent.
Immeritam rabidis Vatem quid verſibus urges?
Tu potius properas, impatienſque moræ es.
Fauſta dies orbi felici ſidere nondum
Illuxit, nondum venit amica dies.

Mox

(a) *Pythoniſſa quædam hunc ſparſerat rumorem, tum in Purpuratorum Collegium cooptandum Borgiam, quæ paullo poſt ſe defendit.*

Mox aderit : falſum non inſpiravit Apollo,
Fallaci Delphis non ego rapta Deo.
Ne dubita : fati lex hæc ; lege ſedulus aureas
Inſculptas tabulis ex adamante notas.
Herois ſuper effigie frons lata ; micantes
Sunt oculi ; gravitas ore, geniſque pudor.
Fas legiſſe fuit : fas lecta referre : Profani
Hinc procul, & linguis, garrula turba, fave.
Emenſo Romæ, luſtris bis quinque peractis,
Zodiaco, ducibus Relligione, fide;
Divini tinctis hunc ſanguine veſtibus agni
Induet, & ſacro murice Papa Pius:
Et decies inter ſeptem cynoſura nitebit
Sidera ; ſed non dum tactus honoris apex.
Percurro tabulas avido dum lumine, Cælo
Vox gravis intonuit : *cetera ſcire nefas*.
Conſonet augurio fatalis diphtera dudum
Concepto; Vatis ſint rata vota Jovi.
Extulit haud tantum Volſcorum clara ſuperbum
Urbs Velitræ Auguſto, Borgia, cive caput,

Ex-

Extollet quantum, quum tu Rex, atque Sacerdos;
Tempora quum cinget cana corona triplex:
Te celebrat jam Fama libris, virtutibus amplis,
Moribus, ingenio, nobilitate, fide.
Reſtituas tu res collapſas, auſpice Petro,
Reddatur ſanctæ primus ut Urbis honor.
Æterna Roma Tarpeji Templa Tonantis
Stabunt, dum terras deſtruet una dies.
Vive diu, Romæque bono tibi protrahat annos
Felices Lacheſis; ſerus & aſtra petas.
Præſulis officio Vates captare mitellam,
Ne credas: omnis me procul ambitio.
Hæc nunquam, Cæli ſanctiſſima Numina teſtor,
Invaſit juvenis corda, minuſque ſenis.
Abripuit tumido nec me ſuper æthera vento:
Præciſis alis repere præſtat humi.
Divitias ſemper ſprevi; moderatio cordi;
Noviſti mores, ingeniumque meum.
Conſcius es ſacri, luſtrorum fœdere ſeptem,
Propoſiti, ſacræ junctus amicitiæ.
Et famam ſpernens Auctoris abhorreo nomen,
Nec curo prælis edere Cæſareæ
Arboris ingenti jam Commentaria cura(a),
An-

(a) *Edita poſtea anonyma jam, cum verſione Templi Gnidii, de quibus V. not. 25.*

Annorumque gravi parta labore trium.
Cum Bavio repam Parnaſſi montis ad imas
Radices; ſtipet Momus at uſque latus.
Odi namque malos, aſperrimus inque ſceleſtos
Exacuo dentes, bile calente, meos.
Et rabido Medicos inſector carmine viles,
Atque in ſcatophagos, qua data porta, ruo.
A ſcurris hominum quot millia miſſa ſub Orcum,
Queis pinguem quæſtum trux Libitina trahit.
Excipiet tantum Quagliam mea Muſa diſertum,
Ob veteris ſacrum Numen amicitiæ;
Ille meos nulla morbos ſtipe curat amicus;
Pro ſtipe nam Vates carmina ſola dabunt;
Carmina ſola tamen, queis gloria clara, perennis,
Queis immortalis ſplendida vita datur.
Quiſne Podalirium, fratremq. Machaona, Græcos
Secluſa Medicos noſceret Iliade?
Jaſidemq. Phrygem Medicum, ſi Æneida tollas?
Triginta uls quorum ſecula fama viget.
Non hæc jactenus, tenues qui inflamus avenas,
Chœrilus, indocti Mævius, & Bavius.

Non

Non myrto noſtrum, non lauro, ſive corymbis,
Pampinea cingat vite corona caput.
Non ad Sebethum, Tibrim, non advolet Arnum
E gelidi ripis rauca Caloris anas.
Non avidis parco Rabulis, ſi fœda cruoris
Ex hominum venis ſugit hirudo minus.
Hic etiam cauſſa victor (lex Cincia roſtris
Parthenopes dormit) veſtibus abſque Cliens;
Exutus corio potius, ceu Marſya, plorat,
Flentibus hinc, illinc conjuge, prole, fame.
Ultra Sauromatas, Thulen, vel Bactra releget
Turpe hominum Regis provida cura genus.
Tot ſeclis felix Medicis ſine (jure fuiſſet
Sed mage Conſultis ſi ſine) Roma fuit.
Propoſito ſed ne ſaltando longius erret,
Ad cœptam redeat garrula Muſa viam,
Prodigus haud minui bona curta paterna, nec auxi
Vel bene, nam fluxas quis male quærat opes?
Non gula, ſegnities vitiis laxavit habenas,
Luſus, avarities, alea, fœda Venus.
Pythagoræ victu, Cocco duce, paupere menſa (*a*)

F Con-

(a) *Inſignis Medicus Florentinus Coccus au-*

Contentus juvenis , vir , puer , atque ſenex .

Spartano cultu , montano more , ſat horti
Braſſica cum betis, allia , cæpa , cicer.

Luculli non notus Apollo , turpis Apicj (*a*) ,
Nec Bacchi feſtis nota culina mihi .

Perſarum menſas odiſſe , gulæque Magiſtrum
Petronium, Siculas, Pontificumque dapes ;

Fas Sybaritarum cœnas odiſſe , parandis
Queis unus , pudeat , non ſatis annus erat .

Pontifices Romæ , queis doctus Platina paſcit (*b*) ,

Al-

---

aureum edidit libellum de victu Pythagorico ad tuendam valetudinem.

(a) *Lippis & tonſoribus notus Apollo Luculli, & gula Apicii . Suppoſitus certe ejus nomine libellus de re culinaria , qui barbariem redolet ,*

Verbaque cinctutis non exaudita Cetegis. notæ tamen doctiſſimæ.

(b) *Et Platina ſcripſit de re coquinaria, honeſto tamen lemmate* de vita beata , *de quo luſit Sannazarius noſter, quod ſcriptis Pontificum vitis, par erat eos paſcere. Hac ætate etiam e Cæleſtina Familia, Iaicus tamen , ſcripſit de opiparis noſtri ſeculi ferculis, librumq. dedicavit Francavillæ Principi noſtri ſeculi Lucullo .*

Albiniger ſcita quæ parat arte Coquus;
Artocreas, offæ, ſcriblita, moreta, placentæ,
Palladis & clypeus nomine ſacrilego,
Ambroſia e noſtris, vaginula, cinnama menſis
Exulet, oacacon, caryophylla, piper;
Cetera quis valeat ſexcenta referre canendo,
Vectaque ab Eois, Heſperiiſque plagis?
Queis Veſpillones, Medici ditantur, Agyrtas
Anne vocem? morbis queis via lata patet.
Vix notum calami mel, pharmaca rara remotæ
Ammerices, glandes ſunt, Arabumque fabæ.
Maſſilia vectus, Corcyra ſpiritus acer
Sit procul hinc vini, quem voco mortis aquam.
Conſtantinopoli ceraſorum marceat ater
Succus, Turcarum potio digna ſiti.
Suave Tiphatini montis, ſpumanſque Veſevi
Abſit, Atellana ſat mihi vite merum.
Burgundum, Hiſpanum, Thuſcum, Luculle, Sicanum,
Fortunatarum tolle, Bonæque Spei.
Murrhina ne memora, argento conflata, vel auro,
Aut gemmis; facili ſint mea vaſa luto.
Nec variis pulchre cryſtallina ſculpta figuris

E Venetis ; patrium ſat mihi viſe vitrum.
Sit mundum tamen, ut mantilia munda, ſupellex
In Vatis nunquam pulverulenta domo.
Eridani Vates inſcripſit: ſolis aprico
Eſt mihi proſpectu parva, ſed apta domus (*a*).
Attalica, aut Phrygia haud ornant aulæa, dealbet
Diluta murum, calce nitente, faber.
Fumoſæ haud tabulæ, docta quas pinxit Apelles,
Protogenes, Zeuſis, Parrhaſiuſque manu.
Conſitus, adſcripſit mea queis effata Cebetis
Muſa, papyraceis murus imaginibus.
Non polymyxa rubro pendet laquearibus aureis
E laqueo lampas: cerea tæda nefas.
Arboris haud oleo divinæ Palladis, atro
Lentiſci noctu noſtra lucerna niter.
Par ebanum ſaxo lucenti cortice nigrum,
Non album nobis India mittit ebur.
Dura nec Ammerice variantis ligna coloris,

Pal-

(a) *Arioſtus ad ſuam parvam ædem hocce inſcripſit diſtichon*:
Parva, ſed apta mihi, ſed nulli obnoxia, ſed non
Sordida, parta meo ſed tamen ære, domus.

Palladia ſcitùs quæ fecet arte faber.
Scriniolis, abacis, quos aſcia rure dolavit,
Herculeo venit populus alba jugo.
Non Batavis nitidos prælis, corioque vitelli,
Nec multos ſervet Bibliotheca libros.
Non umbilico pulchros, minioque rubentes,
Quos tamen aſſiduus nocte, dieque tero.
Janitor ad portam, non ſervus ad atria, curſor
Ad currum, ad velum comptus Ephebus adeſt.
Non promus condus, nec piſtor in ædibus ullus,
Non coquus, a matula, non ab epiſtoliis.
His mediaſtinus ſed fungitur omnibus unus
Officiis: currunt & bene cuncta domi.
Mane calet modico munda focus igne culina,
Lotaque parca parat fercula turpis anus.
Ad fluvium, nigro ſed ſmegmate lintea purgat,
Cæcutienſque licet lumine, ſarcit acu.
Non Thameſis bruma; Ciceronis Patria pannum
Sufficit, & contra frigora membra tegit.
Non molles texunt holoſerica Seres, at æſtu
Induor urticis commoditate pari.

Familiæque meæ nunquam Germanus, Arachnes,
Aut tenuem telam Terra Batava dedit.
Lumen ad exiguum campana cannabe texat,
Et neat illota Villica nocte manu.
Non tero ſollicito Magnatum limina paſſu,
Et paucis apto tempore noſtra patent.
Qui paucos legiſſe labor, longævus amicos,
Curaque corrupta qualis in Urbe fuit!
Dii faciant, omnes ſint tali nomine digni,
Quos brevis hic infra continet indiculus.
Paulillus, Simonettus, Mirella, Dracones,
Ærato Melites pectore Janus Eques.
At Ciccarellus, pingues qui ſæpe palumbes
Dat Vati, prima claſſe locandus erat:
Ut Jacobellus, patula qui clune quotannis
Galliculos bis ſex, aurea mala, pyra.
Patritii cum Ricciardo, cultoque Roſino,
Frentanus: ſileam vos Roſa, Spada, Citi?
Te ſileam priſci Macetum præſtante Tyranni
Jam carum Muſis ſtirpe, Piaque Schola?
Ceu Trojanus Equus, Vatum quæ Mater, alumno
Quæ Guillelmino tollit ad aſtra caput.
Heu! periit dudum Marcellus, maxima noſtri

Cordis pars, animæ dimidiumque meæ!
Legavit Vati gemmas, nitidoſque libellos,
Ordine turbato junior ille ſeni.
Inferias, verſus, lacrymas, ſuſpiria, gratus
Dem tumulo alba rubris lilia mixta roſis.
Altera pars animæ periiſti tu quoque, dignus
Cui nomen merito jure Corona dedit.
Et tibi debentur lacrymæ, ſuſpiria, flores
Ad tumulum, & mœſti carminis inferiæ.
Ruſque Suburbanum pomoſo cultus agellus
Me vocat autumno, vereque florifero.
Non opus eſt curru, pedibus quum pergere poſſim,
Et mihi ſic podagram poſſe fugare licet.
Cumque ſuis Muſis comitatur amicus Apollo,
Deeſt nec Amicorum lecta, favenſque cohors.
Non dedignatur frugali accumbere menſæ
Socraticæ luſtris Phyllis amata novem.
Sic curis vacuo ſemper mihi pectore, longe
Fluctibus inſanis, cor mihi lene ſalit.
Anxietate procul tranquillus dormio noctu,
Nec ſpinas unquam viſus habere torus.
Nil metuo, nullo palleſcens crimine, ſpero
Nil, paucis doctus vivere poſſe bonis.

Dives ad hæc ; conſtans ultra nil expeto, felix
Sorte mea: parvas Dii tueantur opes.
Anxius at gemmis inſomnis, & incubet auro,
Et partas parcens ſervet avarus opes.
Hæc eſt nos inter diſtantia : gaudeo paucis
Dives ego ; multis pauper at ille doler.
Hoc auri ſeclum: Saturni tempora Vati;
Hæc Patriarcharum vita beata fuit.
Inſculptum, nullo delebile tempore, cordi
Socratis effatum: *nullius indigeo* (*a*).
Vivendi hac norma, luſtris ter quinque peractis,
Quid cupiam ? ſtratus nocte, dieq. toro,
Cum morbis luctans, nequeat quum pellere doctus
Quaglia, Machaonia quos tamen arte domat.
Ad ſeptem colles, Tarpejaque Templa Tonantis
Oblatis opibus, murice, muneribus:
Nil opus effœto, ſine dentibus, adde, Priapo,

Quam

(a) *Corruptiſſimis Græcorum moribus, immani luxu quum bacchacentur Athenæ, in Pyræo deambulans Socrates nundinarum tempore, cernens innumeras merces gulæ, voluptati, luxuique ſervientes ait: quot rebus non indigeo.*

Quam bene Pontifici Myſta Tranenſis ait ! (*a*)
Effuſis ride, diffracto ſplene, cachinnis,
Hirpini Vatis carmina blanda legens.
Et noſtri credas tenero ſi digna palato
Præſulis, extemplo mitte legenda; Vale.

(a) *Archiep. Tranenſis Davanzatus invitatus a Benedicto XIV. vetere amico, oblatis muneribus, ipſo etiam oſtro, reſpondit : Nil opus ſine dentibus* (*prohibet ſcribere plura pudor*).

XII.

Ad March. Palmerium

Acephala Elegia, truncato ad aliud pertinente principio.

TU gravis ad Sophiæ centum ſuffulta columnis
Vittatus, montis culmine, Templa facis;
Ut populos reddas felices, euge libellus
Penſandus gaza divite teſtis erit.
Fundamenta jacis magni ſyſtematis, omni
Conatu inceptum perfice navus opus.
At memor Alciati de ſplene emblematis, aucto (*a*)
Quod Fiſco ſequitur civica pauperies.
Ardua res, ſcopulos inter, Scyllam, atque Charybdim
Nare ratem, borea hinc flante, ſed inde noto.
Ne populum, Regis quærens compendia, lædas;
Tondeat, haud tentet glubere Paſtor oves.
Cu-

(a) *Alc. Emblema* 147.
Humani quod ſplen eſt corporis, in Populi re
Hoc Cæſar Fiſcum dixerat eſſe ſuum.
Splene aucto, reliqui tabeſcunt corporis artus,
Fiſco aucto, arguitur civica pauperies.

Curanda eſt primo , vectigal grande , recisſis
Auguſtæ expenſis œconomia domus,
Arcendo fucos , balatrones , hoc genus omne,
Quadruplatores ſed magis aure procul.
Dives Amaltheæ pleno ſic copia cornu
In lætos Cives , Parthenopemq. pluet.
Vera ſuo ſpirat Vati divinus Apollo,
Fatidico Vates pectore Numen habet.
Ne dubita , meritum Rex , & Regina benigni
Ad Regni te mox munia prima vehent,
Remigio propriæ virtutis, flante ſecundo
Ad puppim at vento , ſorte favente , ratis.

XIII.

Ad Xaverium Simonettum.

INventum ut proprium Europam, totumq. per Orbem
Pneumaticos orbes Gallia vana ferit.
Inventi laudem ſed Brixia clara meretur (*a*),
Doctus & infandi Lana Sodalitii.
At Lana, libros dum volvo, antiquior Auctor
Emerſit noſter: plaudite Regnicolæ;
Tuque magis, docta quod conterraneus ora
Editus, & proavis cognitus ille tuis.
Sit Campanellæ proin gloria prima Stylenſis (*b*),
Magnorum Mater Brutia Terra virum!
Na-

(a) *P. Lana S. J. Brixienſis naves in aere volantes conſtruxit.*

(b) *P. Campanella Dominicanus Civitatis ſtyli (quæ veteribus Cocynthum) ut & Simonetta, cui Elegia dirigitur, prodigioſo vir ingenio, ſi habenis coercuiſſet, novam Ecclesiam fundare tentavit, nomine Sion & in proprium Regem conjuravit, at detectus in vinculis multis annis marcuit, demum fuga evaſit, Lutetiamque petiit, ubi magno in honore, dum vixit, fuit, magniſque ſtipendiis ditatus. Hic etiam naves volantes aere tentavit.*

Naviculam velis nam primus in aera monſtrans
Poſſe vehi, Lanæ prætulit ille facem.
Quinque nova luſtris qui clauſus in arce, volando
Ad Gallos tutus Dædalus alter abit.
Accuſat plagii vanam proin, Angliam ut olim,
Detecto motu ſanguinis, Italia. (*a*)
Ingenio Gallos, Anglos hæc vincit, ut armis,
Quinque ſuum cogens ſecula ferre jugum.
Laudibus Italiæ non Anglia, Gallia certent;
Submittat faſces utraque victa ſuos.
Architas noſter, tot ſeclis ante, columbas (*b*)
Mira populeas arte volare docet.
Sic Italo placide tempus doctore feſellit,
Depoſito quintus Carolus Imperio (*c*).

Exem-

(a) *Sanguinis circulatio in Italia primum detecta eſt a Paullo Sarpio, & Hieronymo ab Aquapendente, a quibus Guillelmus Harverius juvenis Anglus Italiam peragrans eam didicit, inque Patriam reverſus, ut ſuum vulgavit inventum.*

(b) *Architas Tarentinus, de quo Hor., celeber ſui temporis Mathematicus, columbas ligneas volantes fabricavit.*

(c) *Carolus V. abdicatis primo in F. Philippum Regnis, inde etiam Imperio in Fr-*

Fer-

Exemplis raris noſtro jam ſanguine paſti
Imperium Auguſti depoſuere duo (*a*).
Depoſuit, ſed pœnituit, detonſus ad arctum
Rachiſius clauſtrum; bis levis Hotomanus (*b*).
Nec, quem vili animo, ſcapulaq. oneri impare, mendax (*c*)
Accuſat Dantes, hic reticere velim (*d*).
Incola jam lunæ nobis noteſcet, & arcto
Jungemur ſacri fœdere conjugii.
Europa extorres, Aſia, Libyaque remota (*e*),
Im-

Ferdinandum, Valliſoleti inter Aſcetas degens tempus fallebat mechanicis dans operam, Turriano Italo Præceptore uſus.

(a) *Diocletianus, & Maximilianus poſt cruentiſſimas Chriſtianorum perſequutiones Imperium depoſuere.*

(b) *Rachiſius Italiæ Regno etiam ſe abdicavit, at quum ſolium iterum aſcendere tentaret, adnitente tamen Deſiderio, a Stephano Papa coactus inter monachos vitam producere*

(c) *Amuratus II. bis renuntiavit, & reſumpſit Imperium.*

(d) *S. Cæleſtinus V. Neap. Pontificatu ſe abdicavit, de quo Dantes;*

Che fece per viltade il gran rifiuto.

(e) *Ludit hic Vates ſuper amœniſſimo Fontanellæ ſyſtemate de Lunæ habitatoribus, quo amandandos Jeſuitas ad Evangelium il-*

Immemor Ammericen nec mea Muſa ſilet;
Queis, miſeris veluti Verpis, vix angulus orbis,
In Scythia, ſtatio quæ male fida, patet:
Mox ablegandos ad Lunæ concava, pergent
Saturni, dubitet nullus, ad uſque cyclum;
Ut Cruce plantata, divinæ dogmata legis
Hos doceant Populos, Romulidumque Fidem;
Nunc Lojolitas tempus revocare: quis illis
Par erit ad ſacrum, grande miniſterium?

Ad eundem.

Ardua res homini nulla eſt, mirabile! tutus
Aere jam ſcita Gallus ab arte volat.
Rerum Opifex homini Terram conceſſit, ut illa
Contentus, proprium bobus araret agrum.
Occupat inſanis non ſolum molibus æquor,
Neptunoque maris contrahit imperium.
Se fragili pinu pelago committit, & euro,
Nans vaſto Oceano Typhis ad Ammericen.
Nec cæcos ſcopulos, non Scyllam, ſive Charybdim;
Non Libycas Syrtes, naufragiumque timet.

Dæ-

illis prædicandum, urgendo eorum dexteritatem ad Saturni remotiſſimum Planetam migraturos.

Follibus hic tumidis inflatus pectora totum
Aera, pneumaticis orbibus ille tenent.
Me jugi tantum juvat ignem accendere bello,
Et mea pars ignis totius orbis erit.
Geryonis forti tundam capita ardua clava,
Et madido ſpargam membra cruenta ſolo.
Sic ait Alcides ſeptem fervente trionis
Pectore, quum belli triſtia ſigna canunt.
Effractis aperit foribus Bellona bifrontis
Jani templa, amens gliſcit ubique furor.
Eumenides Erebo, ſacris Diſcordia Clauſtris,
Mars Cælo ſpargunt undique tela, faces.
Armorum tinnitum audin, pugnæque fragorem,
Salmoneus paſſim dum tonat ære cavo?
Grandinat & tubulis glans plumbi, enſeſque rotantur,
Hinc, illinc hominum millia multa cadunt.

Væ

---

tiones intercedit antipathia, at major inter Luſitanos, & Hiſpanos; ingenioſe Mazarinus in celebri congreſſu Pyrinæorum cum Haro, laudavit orologia, quæ nunciant horas a meridie ad mediam noctem, quod ea tantum extrinſeca ratione inter ſeſe conveniunt Galli & Hiſpani.

Væ miſeræ Europæ : cum Muſis aufuge penna
Præpete , & Aſcræum deſere , Phœbe , jugum ;
Ad placidos migra populos , ad concava Lunæ ,
Si tibi pax cordi, ſi tibi grata quies.
Siſte gradum, teſtes tot carmina culta, ſacerdos
Ille tuus , ſacri Pieridumque chori.
Præclaris Itali , & Galli cum Manibus , ulnis
En celeri expanſis obvius ille gradu :
Læva lyram , ferrum fert dextera ; debita Vati,
Victorique , ſacra fronde , corona duplex.
Quam bene cum reſono vicina tonitrua cantu
Concordant, dulci tympana rauca chely.
Dii faciant cultu docilem , rituque Quiritum (*a*) ,
Divinæ legis dogmata vera ſequi.
Jam facilis, quod Fratre ſatus , qui proximus heres ,
Hunc ritum addiſcat , Fratre querente , finit.

Au-

(a) *Omnes ſciunt , hodiernum Boruſſiæ Regem , tolerante Patruo tum Rege , noſtræ Fidei dogmatis imbutum , reluctante licet altero Patruo Henrico ; idque Romani forſan Imperii , aut Regni Polonici ſpe , ut Auguſtus I. Saxon .*

Audiat Hæreticos contra, Fideique rebelles
Firmius hic columen Sedis Apoſtolicæ.
Romuleis tantum quæ debita ſuadet, an amplum
Sarmatiæ Regnum, ſuadet an Imperium?
Saxonis exemplo, ſic turpis abutitur alma
Sæpius ambitio Relligione, nefas!

XIV.

Ad Actores Andriæ.

PArthenopes, lateant ni Scipio, Lælius, Afer (*a*)
In ſcenam lætis prodit ab Elyſiis.
Fervet Ephebeum, græcanica pallia, priſco
Dum parat & crepidas more, abigitque togam.
Excreat en jugi correptus rheumate Chremes,
Concitat & ſimis naribus ira ſenem.
Pamphylus hinc fervens ardere, Charinus & illinc
Cernuntur; placidis pergit uterque modis.
Moribus ingenuis dulcis, facieque decora
Glycerium; vafro pectore Davus adeſt.
Quam bene quiſque ſuas partes agit! Euge juventus
Ad ſcenam guſtus jam tibi tactus apex.
Patricii plaudunt paſſim, doctuſque Senatus,
Et quos Phœbus amat, Pieridumque chorus.
Non procul heroam vicino nobilis inflat
Parthenius tumulo protinus ore tubam.

E

(a) *Scipio, & Lælius auctores crediti Comœdiarum, quas edidere ſub nomine Terentii, exiſtimantes infra gravitatem Romanam, Senatoriamque dignitatem Comœdias ſcribere.*

E Mergellîne tenui reſpondet avena,
Plena Sanazarius retia piſce trahens.
Aſſurgit, conchaque ſuis Polyphemus alumnis (*a*).
Plaudit; dum reſonant Echia, Neſis io.
Hei mihi jamdudum quod morbus ſontious ægrum
In tam conſpicuo non ſinit eſſe loco!
Zodiaci tardis rutilans ſex ſigna peregit
Phœbus equis, affert nec mihi ſurdus opem.
Remigio alarum ſed quæ demittitur alto,
Cernite, nos verſus, nobilis Umbra Polo!
Umbra Panormitæ, ſequitur Pontanus alumnus (*b*):
Agnoſco magnum per ſua ſigna Virum.
Actores laudans quarto ſua ſemina ſeclo
In facili geſtit luxuriata ſolo;
Et ſua calcantis veſtigia docta Nepotis
Lucida præclarum nomen ad aſtra refert.

Non

(a) *E. Campilongus Actores inſtituit in Latina Eloquentia, & Poeſi, quem Polyphemum vocat Vates ob Polyphemeidem.*

(b) *Antonius Beccatelli e Bononia, dictus Panormita, quod Panormi educatus, Alphonſi I. a Secretis, qui bonarum artium Neapoli reſtaurator; Pontanuſque, quem ſucceſſorem habuit, Academiæ Neapolitanæ celebres Fundatores, unde, tanquam ex equo Trojano, tot literati prodiere; utinam edatur hujus Academiæ Hiſtoria, de qua V. not.* 133.

Non minor hoc Tritavo Mæcenas editus alter,
Siciliæ magno, Parthenopeſque bono.
Affixus Regis lateri nunc quam bene nava (*a*)
Quaſſatæ clavum dirigit arte ratis;
Sedulus & binis privata, & publica curans
In Regnis doctos protegit uſque viros.
Evehat utque illos, meditatur mente capaci
Grandia: tu cœptis, docta Minerva, fave.
Erigit ignotas Cathedras, Doctoribus augens
Præmia, qui tradant publica jura ſcholis:
Agricolas doceant arvis, pratiſque colendis
Triptolemi leges, Sicelidiſque Deæ.
Externis nec jam vinis opus; ubere gleba
Perficient Bacchi vitiſatoris opus.
Virgilio monſtrante viam, Vidaque diſerto,
Bombycum haud deerit, curaque dulcis apum (*b*).
Et doceant curare boves, ægroſque caballos,

Quod

(a) *Academia Neapolitana ferme abolita revixit ſub auſpiciis Beccatelli deſcendentis Marchionis Sambucæ æque a Secretis Ferdinandi IV.*

(b) *Virgilius de apibus IV. Geor., Hieronymus Vida celeberrimus ſui temporis Vates Poema edidit de bombycibus, præter vere divinam Chriſteidem, & Scaccheidem.*

Quod dignum Alphonſus Rege putavit opus (*a*).
Ægrorum curam nec dedignatus equorum,
Atque hac Auguſto notuit arte Maro.
Et Protomedicum Siculum male Capua ridet (*b*),
Quod ſibi ſubjiciat vile miniſterium.
Non Oratori, divino magna Poetæ,
Hetruſcæ linguæ præmia nec deerunt:
Rhetorices latiæ nam curta ſtipendia, clamat (*c*)
Ad ravim celeber Vicus ab Elyſiis.
Dives omittetur nec Diplomatica, vera
Secernat falſis ut, Duce Germonio (*d*).
Barbaricis falſo ſeclis diplomata mille
A Monachis paſſim, cuſaque Præſulibus.
Et Medicis mandanda nec obſtetricia: ſtulte

Fe-

(a) *Extat Alphonſi libellus de equorum cura.*

(b) *Philippus Ingraſſia Archiater Siculus ſuæ juriſdictioni ob vile lucrum ſubjecit veterinariæ Magiſtros, quam ob rem a Leonardo Capua deriſus.*

(c) *Jo. Bapt. Vicus*, *de quo not.* 88., *quo Magiſtro glorior, dolebat palam, curta nimis hic eſſe ſtipendia Eloquentiæ.*

(d) *Germonius S. J. magni ingenii criticus in Diplomatica re, majoris Arduinus aſſecla, ſi fervidum temperaſſet ingenium. Ejus notæ in Plinium perſpicax ingenii acumen teſtantur.*

Femina nam curat triſte puerperium.
Almæ implorato Lucinæ numine fruſtra,
Fœtibus, & cæſis matribus inter opus.
Hinc & Athenæum ditabit publica ſcriptis,
Excuſiſque ingens Bibliotheca libris (*a*).
Delatum Parma raris ex ordine nummis
Muſeum tabulis nobile, cimeliis.
Sexcentis thuſcis Muſeum nobile vaſis (*b*),
Quæ Nolæ, & calidis eruta Puteolis.
Abſumit quod cuncta, luto, fragilique pe-
percit
Teſtæ, falce ſua, denteque tempus edax:
Bis mille ultra annos figulus jam finxit
hetruſcus
Hos facili creta, pinxit & arte rudi.
Tibridis, & Capuæ breviori, cernis ut,
ævo
Ruderibus ſparſis Amphiteatra jacent.
Quem numerant Orbis inter miracula ſe-
ptem,
(Templum Epheſi ſileam, Pyramideſq.
Phari.)
Expanſis velis, cujus ſub cruribus ingens
Navis in iratis velificabat aquis,
Hac, illac Rhodii conflati ex ære Coloſſi
Undique ſparſit humi fruſtula tempus e-
dax.

Hunc

(a) *Celebris Bibliotheca Parmenſis cum nobili Muſeo huc delata, paullumq. abfuit, quin etiam Medicea deferretur.*

(b) *Multa conclavia oppleta thuſcis vaſis, præſertim a Noja emptis.*

Hunc Orbem, Solem, Lunam, reliquoſq.
Planetas,
Aſtra Poli tandem deſtruet una dies.
Petagnæ omnigenis Hortus Botanicus herbis (*a*),
Cyrilloq. aderit non procul auſpicibus,
Hos docuit vires herbarum Cynthius omnes,
Et gremio fovit dulcis Hygia ſuo;
Vitales inter ſuccos, herbaſq. ſalubres
Rex ſtabit populi vita ſaluſq. ſui.
Neuter at effœto, nec reddit Quaglia ſalutem,
Arſq. ſenectutem nulla juvare valet.
Eheu quod nulla ſenium medicabile planta!
Jam mihi ſeptem ultra luſtra peracta decem.
Tentetur tandem transfuſio ſanguinis omnis,
Gramina Medea ni recoquente juvant.
Inſanum Medici ſed quid Syſtema Britanni (*b*),

(a) *Deſignatus jam hortus Botanicus (v. Carmelitis Academiæ proximis) præſidibus Cyrillo, & Petagna, Botanicæ ſcientiæ peritiſſimis Medicis; Quaglia Vatis Medicus ſenior; Auctor hic utitur diſticho in Pariſienſi horto Botanico Ludovici XIV. ſtatuæ affixo, a ſcholari, qui præmium reportavit, facto.*

(b) *Hoc ſeculo Anglus quidam Medicus transfuſionem veteris, novo immiſſo ſanguine meditatus, ab Italis deriſus, Galli tamen*

Et Vates Vatum ſomnia vana fero.

Aſſurget clivo procul Inſpectoria Turris
Inſtrumenta artis cuncta Matheſis habens.
Hac liceat nobis Superorum ſcandere ſedes,
Et prope cærulei limina ſumma Poli.
Hac Solis, Lunæque vias, varioſque labores
Cernere, dum terris tympana rauca ſonant.
Errantem bis ſex Phœbum per ſigna quotannis,
Dum peragit curſum Cynthia menſe ſuum.
In diſco valles, montes, mare; an incolæ, & Urbes
Apparent? Galli ſomnia vana ſenis.
Nec propria reliquos radiantes luce Planetas;
Heſperus hinc, idem Phoſphorus inde, micat.
Hunc circum, veluti nubecula clara, ſatelles
Caſſino volvi creditus axe ſuo (a),
Aſtro-

men ſyſtema adoptarunt, feliciterque in cane venatico ſene experti, at male ceſſit homini ſeni, proinde in hominibus decreto vetitum experimentum. Nota eſt fabula Æſonis decrepiti in juvenem reſtituti a Medea nuru, Hemi graminibus, magiciſque carminibus.

(a) *Caſinus noſter primus ſuſpicatus eſt, circa Venerem Planetam ſecundarium poſſe vol-*

Aſtronomus Gallus quem detexiſſe fatetur,
Et ſignare ſuum protinus auſus iter.
Italus e ſpecula fruſtra, Germanus, & Anglus
In rutilum intendunt lumina fixa Polum:
Retia Vulcani metuens, Martiſque furorem,
In Gallilæum verba maligna vomens,
Clam Venerem dudum ſectatus Adonis, ab Argo
Conſpectus Gallo vix, cito delituit.
Et propius ſolis currum Cyllenius ardens,
Et ferrugineo Mars procul orbe micat;
Tardigradique ſenis cernes cum phaſibus anſam,
Concubiaque Jovis nocte ſatellitium.
Quattuor hic Lunis, nomen meruere ſequendo
A Medice Domino; quinque ſed anſa nitet;
Et portendentes funeſto crine Cometas
Vicinas pavidis Regibus inferias.
Lumine dein proprio procul aſtra micantia; lactis,
Sunt ubi ſtrellarum millia multa, viam.
Abſque teleſcopio prænovit mente ſagaci,
Lapſa decem bis ſunt ſecula, Democritus (*a*).

G 2 Tran-

volvi ob quandam nubeculam, quæ ſæpe apparebat. Aſtronomus Gallus id certo vulgavit, at falſus: Vates ne mendacii arguatur, excuſat fabula Adonidis, ita delicate eum deridens.

(a) *Mirum, Democritum ſolo ingenii acu-*

Transferet huc ſedem, deſertis (Dania ploret)
Docta Venuſinis ædibus Uranie (a).
Huc ades, Uranie, culta cum Pallade, jam vos
Mæcenas ſpondens præmia magna trahit.
Huic quantum pro tot benefactis publica debet
Res: quantum Siren florida cara Jovi;
Borbonio dominata Jovi proſperrima Siren,
Effrœnis primum cui bene paret equus;
Et merito, Themiden quod Rex pius evocat alto
In populos; ſacrum monte bicorne chorum;
Aurea Saturni revocat quod ſecula nobis,
Melle, oleo, rivi lacte, meroque fluunt.
Dives Amaltheæ jam pleno copia cornu
Annona vili proſtat ubique palam.
Tam caro pro Rege voventem fata ſecundent,
Concipiam merito publica vota libens:
Huic Clotho neat ex amianto ſtamina Vitæ,
Atropos aſt aurum ductile nava trahat,
Quæ nunquam Lacheſis fatali forcipe rumpat:
Ceu Pylio ſaltem det tria ſecla Seni.
At vos, o Juvenes, macti virtutibus amplis,

Ar-

---

cumine arguiſſe, viam lacteam ſparſam ſtellulis, quod nunc clare apparet teleſcopio.

(a) *Vide not.* 127.

Artibus ornati tam bene Palladiis.
Gratia Rectori pro queis, doctiſque Togatis;
Nec Pædagogis ſit referenda minor.
Qua dextro ducit Palamedis littera cornu (*a*)
Pergite, ſit quamvis ardua, & arcta via:
Illam calcantes laus maxima, ſama perennis,
Ultra Sauromatas gloria clara manet.
Hac iter ad laudes, ad honores, præmia, gazas;
Hac iter ad nitidi ſidera ſumma Poli.
Ad galli cantum vigilandum nocte profunda,
Exulet ex oculis nocte ſilente ſopor.
Et Latiis, Grajiſque juvet pallere papyris,
Ut ſileam Thuſcas, dulciſonamque chelym.
Præſto chalybs, prædura ſilex, cum fomite ſulphur,
Excutitur crebris ictibus ignis edax
E ſilicis venis, recipit quem fomite ſulphur,
Concipit & claram cerea ſpira facem.
At ne tendatis male ſani parte ſiniſtra;
Sus, epicureo de grege, pergat ea:

(a) *Palamedes a Græcis derelictus deſerto in loco, e gruum cantu litteram y alphabeto Græco addidit, ſono inter i, & u, formavitque ex ipſo gruum volatu: hac pro ſymbolo uſus Pythagoras pro bivio vitæ humanæ ad montis proclive vitiorum, & cacumen virtutum; adoptavitque Neapolitana nobilis Curia, proinde dicta* Furcilla,

Hic gula, ſegnities degunt, fraus, alea, luxus,
  Hic Venus, & Bacchus, ſiphylideſque lues.
Hac iter ad probrum, contemptum, crimina, ſordes,
  Hac iter ad nigram, lurida Regna, ſtygem.
Vos, Auditores, geminantes Euge, diſertis
  Turmatim Pueris plaudite voce, manu.

XV.

XV.

Ad Match. Jo: Baptiſtam Rotundum Quinquennalia Clementis XIII. Beneventi celebrata.

BRuma ferat glandes, Autumnus poma, roſasque
Ver, ſegetes Æſtas, omnia tempus habent.
Quid Pindi vietus, lippus, ſilicernius erro
Finibus? hic flores ſola juventa legat.
Aureus imberbes, imberbis & ipſe, Poetas
Phœbus amat, ſileam, turpe Poeta ſenex.
Emerito tandem poſt longa ſtipendia detur
Miſſio, militia detur abire ſeni.
Jam rude donatus ſenior gladiator arena
Abſtinet, & populi munere miſſus abit.
Quæ neglecta ſacra pendebat ab arbore dudum,
Qui pulſanda ſeni pulverulenta Chelys?
Quæ ſopita diu loti marcebat ad umbram,
Pieris in ſcenam quam male prodit anus!
Crine reluctantem detorto ad carmina collo
Hinc traho: Dii faciant, ut bene culta canat.
Cur demens purgatæ auris, nec naris obeſæ
Audeo perfricta mittere fronte tibi?
Splendida nam juvenis phœbeja ſigna ſequutus
Triviſti ſacrum, non ſine laude, jugum.

Dein Themidi patriam decorans addictus, ut ardens
Nunc Diomedea ſidus in Urbe micas (*a*).
Adde, mihi dudum quod dextera mala tumeſcit,
Et ſcabri dentes parte ab'utraque dolent.
Mala tumet, gutturque dolet, lacrymantur ocelli,
Pectus & ægrotum tuſſis anhela quatit;
Caligant oculi, ſurdeſcunt cominus aures;
Obruitur quantis dura ſenecta malis!
Ad galli cantum tardus ſubrepit ocellis
Somnus, & in ſpinis nocte jacere queror.
At Medicos vito cane pejus, & angue, cicutam
Ad glaciem metuens, balnea, flagra, necem (*b*).
Irritem ſed ne crabrones carmine, ſanum
Tu ſerva medicæ, Phœbe, repertor opis.
Dulciſono ſed jam Paſtorum carmine vallis (*c*),
Vicini colles, & nemus omne ſonat.
Garrulus argutos inter ſtrepit anſer olores,
Raucaque caſtaliis rana coaxat aquis.
Luſcinias dulces cornix clamoſa laceſſit,
Provocat heroam tenuis avena tubam.

Fi-

(a) *Diomedes Beneventi fundator.*

(b) *Primæ claſſis Medicus hujus ætatis miſeros ægros verberibus curabat, dictuſque vulgo Medicus verberum.*

(c) *Hæc dum celebrarentur, multa noſtri Auctoris Carmina, Elegiæque recitata fuere, interque ea, quæ ſeq. num. XVI. ac XVII. exhibent.*

FLuviorum Tibris Rex feſto proſpera magni
Clementis celebrat dum Quinquennalia, plauſu,
Et ſeptem refluo reſpondent murmure colles (*a*),
Parrhaſiumque nemus geminæ dum carmine linguæ
Hinc, illinc reſonat ſidentum ceſpite molli
Paſtorum, quanto mage claro ſede curuli!
Quos magis exornat, quam purpura, fronde virenti
Æternum, cingens ſplendentia tempora laurus;
Aonii ſacro Parnaſſi monte relicto,
Adſtat ubi facundus Apollo, novemque Sorores,
Auriferumque Tagum longe Clementis Iberus
Provocat ad laudes, ſtabilis concordia Romam
Inter, & Imperium poſt quam firmata; vetuſtas
Quam nec edax abolet, nec, quod terit omnia, tempus:
Aurea dum totis, Zephyro cum Chloride fauſto,
Europæ paſſim florebunt lilia campis,

(a) *Heic innuitur Romana Arcadia.*

Undique jucundum ſpargentia ſemper odorem,
Ad Rhodanum, veteri Domino dum murmure plaudit (*a*),
Avulſos truncos, & ſaxa Druentia volvens
Lætus, & in ſcenam Liris, lætæque Fregellæ (*b*),
Ad veterem Dominum redeuntes corde renident;
Et ſua Vulturnus conjungit gaudia Liri,
Sebethuſque Pater redimitus arundine crines,
Pauper aqua, culto Sebethus carmine dives,
Ad dulces Sirène ſua cum conjuge cantus
Parthenii, atque Actj vicinas excitat umbras;
Lojolitarum vetitis ſub veſtibus alter
Parthenius poſt denſa latens careсta ſilebit (*c*).
Vesbius innocua teſtatur gaudia flamma,
Prodit ab Ætnæis ad cantus impiger antris,
Paſtorum princeps, cannaſque Theocritus inflat;

Qua

(a) *Avenionenſis ditio a Gallis occupata, Pontificiq. reſtituta*.

(b) *Reſtituta etiam Beneventum, & Fregellæ occupata*.

(c) *Nic. Parthenius Giannattaſius, de quo v. not.* 13.

Qua Calor , & gelidis tranquillus Sabbatus undis
Junguntur , blandi volitant ubi ſemper olores ,
Et per Campanos Vulturni nomine ripas
Tyrrhenam placide pergunt ad Tethya curſu,
Pampineæ vitis patula hæc inculta ſub umbra
Arcades imparibus cantabant carmina cannis.
Jamque Decennali pompæ majoribus auſis
Præludunt , addent dein Vicennalia : duri
Invida lex fati vitam non prorogat ultra (*a*)
Pontificum : ſat nota ſacro ſi diphtera Vati.

(a) *Vetus traditio , Pontifices non pervenire ad vigeſimum quintum Pontificatus annum , quod accidit hactenus .*

XVI.

De abolitione S. J.

Apologia.

QUum Lojolitas, jam circumvolvitur annus,
E Vaticano fulmina torta jugo
Perdiderunt, quum re perpenſa quattuor annis,
Diſſolvit Clemens triſte Sodalitium.
Innocuos ſed cur paucorum crimina multos
Involvunt, puros duraque pœna ferit?
Unius ob noxam Trojanos perdidit omnes
Supremi Juno ſponſa, ſororque Jovis.
Fabellæ procul hinc; ſanos ſub cortice ſenſus
Græcorum quamvis mythologia tegat.
Deſcivere quidem pauca oppida Brutia ad acrem
Annibalem, miſeræ perniciem Italiæ:
Romæ, extraque, uſque ad Solymem dare tota coacta eſt
Natio Lictores, carnificeſque foro (*a*).
Vidit, & erubuit, paucos Meſſana rebelles,
Juribus exuta eſt non minus illa ſuis.
Abfuit & paullum, quin Siren, inclyta Siren,
Per-

(a) *Ex Gellio hoc habetur; quam fidem tamen mereatur, lege Polyſicchium de Tortoribus Chriſti, ubi ineluctabilibus argumentis, miraq. Hiſtoriæ Romanæ eruditione defendit hac infami nota ſuos Brutios, quos ferire voluit Vates: poſt Natal. Alex. qui eam Brutiis inflixit.*

Perdita paucorum crimine bis fuerit.
Servavit Patriam Carolus, lex dura Toleti
Gandavi æquaſſet mœnia celſa ſolo (*a*).
Turlacos omnes percuſſus acinace ab uno
Extinxit ſapiens Turca Mamete ſatus (*b*).
Quum Jovis, aut Regis Majeſtas læditur, æque
Pœna Auguſtorum, Pontificumque pari (*c*);
Innocuos, feros punit lex bina nepotes;
Injuſtas leges nec vocat alma Themis.
Quid tamen erratis obnoxia jura moramur?
Supra homines teſtes ſedula Muſa refer.
In Borromæum quidam diſploſit inanem
Ictum; Humilis quinto perditus Ordo Pio (*d*).

Pon-

(a) *Quum rebellaſſet Gandavum, interrogatus Albæ Dux Toletanus de pœna a rebellibus merita, reſpondit, æquandam ſolo Urbem, quo reſponſo offenſus Carolus, nam Gandavi natus, ſalſe ait; quot pellibus Hiſpanis opus ad concinnandam talem chirothecam, quam vulgaris vox Gandavi ſignificat.*

(b) *Bajazetes II. petitus acinace a Turlaco (Aſcetarum Turcarum hic Ordo) Ordinem abolevit.*

(c) *Noti Canones in deſcendentes Hæreticorum, & L. quiſquis rebellium.*

(d) *Quidam ex Humiliatorum Ordine parvulum tubulum in Carolum Borromæum*

oran-

Pontificem ex Cathedra cernentem errare quis inquit?
Trans Alpes audax Gallia ſola docet.
Millia Cuſtodum Templi damnata Viennæ (*a*)
Concilio, paucis ſontibus, exilio.
Concilium falli vix audet Beza, Melanchton,
Calvinus, Luther, vix Ecolampadius.
Natorum natos, natos poſt tempus ab illis (*b*),
Non ſemel offenſi puniit ira Dei.
Enumerat Populum David occiſor, adulter;
Mactavit Populi millia multa lues.
Et genus humanum primorum culpa Parentum
Perdidit: injuſtum dixeris eſſe Deum?

De

erantem diſploſit, & quamvis eum non offenderit glande plumbea ante ipſum decidente, tamen Pius V. totum Ordinem extinxit.

(a) *In Concilio Œcumenico Viennenſi abolitus Templariorum Ordo ancipiti fama de veritate criminum eis objectorum.*

(b) *Paſſim in Sac. Scrip. legimus: puniam vos uſque ad tertiam generationem.*

De Morte Alexis

Petri Scytharum Imperatoris Filii.

AD ſilvas tenuem ſoccis inflavit avenam
Verſibus imparibus paſtores hactenus inter,
Herois audax nunc, cives inter, in aula
Inflat Muſa tubam ſuras induta cothurnis.
Ultra Sauromatas, & Thermodonte rigata,
Aut Tanai, ſeptem ſubjecta ad vaſta Trioni
Regna, levi liquidum, celeriq. per aera penna,
Mens afflata volat; vitreo nec nomina ponto,
Icario caſu, metuit ſecura daturam;
Lauriferum quando pandunt Helicona Camœnæ,
Pegaſeumq. ſacro referant e vertice fontem:
Inſpiratq. ſeni, luſtris bis octo peractis,
Ut juveni, dexter divinum Cynthius œſtrum
Monte caballino: jam mens agitante caleſcit,
Ebullitq. Deo, capiunt nec pectora Numen.
Hirpinus Vates, claram Sirenis ad urbem,
Quam viridi canos redimitus arundine crines

Nym-

Nympharum centum placidiis Pater alluit
undis,
Pauper aqua quamvis, Sebethus carmine
dives,
Ad cujus ripas facundo ſemper olores
Ore canunt, quos inter Anas clamoſa Ca-
loris,
Magna canam: linguis, animiſque favete
canenti:
Amuſi hinc Rabulæ, Monachi procul ite
profani.
Imbellem Populum, exlegem, molimine
ſummo,
Erudiit poſtquam belli, paciſq. ſeveris
Legibus, & docuit divinas Palladis artes,
Martis, & Hermetis; victo, Svecoq. fu-
gato;
Odryſio cum Rege icto jam fœdere, Pru-
thi
Ad gelidas ripas, meditatur mente ca-
paci
Grandia, ſilvestres Populos quo vasta co-
lentes
Regna, decem linguis, ad nigri Memno-
nis oras,
Postremoſq, Sinas, binis glacialibus Urſis
Averruncatis brutorum moribus, omni
Barbarie, intonſa, impexaq. ad pectora
barba,
Europæ reliquis cultis regionibus æquet
Alcides, lateri cujus cum Pallade Mavors.
Imperii cœptis tanti ſucceſsor, & hæres
Bardus, iners, stolideq. ferox obstabat A-
lexis,

Pro-

Provida deridens magni decreta Parentis,
Irrita ſe Regni quæ cuncta fututa potito,
Impius ante diem Patris inquirebat in annos;
Inſidiis etiam conjurans perdere Patrem
Tentavit vecors, maleſuadis tractus amicis;
Attamen incaſsum ceciderunt cuncta; ſaluti
Tutelare Patris proſpexit Numen ab alto.
Iratum Patrem metuens, & fulmina Regis
Vindobonam primo profugit, & inde citato
Parthenopem ciſio noſtram; meretricula longæ
Euphroſyne, ſed ſola fugæ comes: omnia Patri
Cognita, centoculum Scythicnm quis falleret Argum?
Quis Regem, totum cui brachia longa per Orbem?
Obtorto in patriam collo remeare coactus;
Infelix ſubito Patris, Regiſq. verendo
Judicio ſiſtit; ſine vi ſua crimina, mortis
Seq. reum faſſus, veniam rogat ubere fletu.
Patrem inter, Regemq. diu Petrus hæret: Alexis
Nunc animum, nunc gentis amor vincebat, & æquis
Lancibus hinc, illinc pugnatum: denique Patrem
Rex vicit, patriæq. bono damnavit Alexim.
Juſtitia Regis Patris dolor obrutus: hiſcat
Haud quaquam jactans Agamemnona Græcia; Brutum
Roma ſuum; in ſcenam prodire nec audeat unquam

Man-

Manlius hanc ; rigido Calchante urgente Deorum
Juſsa, Patre invito, Triviæ ſacram imbuit aram
Iphianaſsa, cruore ſuo : in patriam ille rebelles,
Hic Ducis imperio haud parentem, vinceret etſi,
Mactarunt Natos, ſic Lege jubente ; miniſtri
Legis erant, ſerviq. ; Petrus ſed lege ſolutus,
Sponte ſua, constans animo, mactavit Alexim.
Carpetanorum miſerandum Mantua fatum
Nec Caroli memoret ; Lethes at flumine mergat.
Ad rutili magni ferat Apotheoſis olympi
Sidera, cum Superis veſcentem nectare Petrum.

Ne

Ne qua poſtremi hujuſce folii paginula relinqueretur inſcripta, ſubjectam hanc feſtiviſſimam, nuperrimamque ejuſdem Auctoris Elegiam heic addere haud abs re viſum.

ÆRumnæ ærumnis ſuccedunt. Utraque diro
Unius at dentis mala dolore tumet.
Inflantem ut calamos poſsem, vultumq. ...
Cardine ſpirantem ſive referre notum.
Mandibulæ molitor dens unicus ore ſupernæ
Extra, ubi plantatus, jam labat alveolum:
Mox evellendus Moretti forcipe. Lautas
Qui miſer ad menſas fercula dura molam?
Turde vale, ſcolopax, & cum pavone palumbes,
Ficedulæ, capo, pinguis alauda vale;
Marſæ, cum marſo petaſone, valete tomaclæ,
Et nomen queis Lucania noſtra dedit.
Caſtaneæq. nuces, elixas præter, Abellæ
Juglandes, pini, ſpermaticæq. nuces:
Quæq. nuces triſtis producit Phyllidis arbor,
Nec virides olim gratior eſca mihi.
In Parthos lævo Romanum bella moventem
Omine Brunduſii quæ monuere Ducem (a).
Pa-

(a) *Innuit hic Auctor ficus cauneas, quas e Ca-*

Patria, Daunorumq. valete cupedia, crudum
  Oxyporon, raphani, fœniculi, cinaræ.
Caſeus hui valeat parmenſis, & hippace, amœno
  Pollini nuper quæ mihi miſsa jugo.
Trinacria ne mitte Draco piſtacia, Vati
  Sed duplica vinum vite ſyracoſia.
Sorbile vix ovum, vix pulpamenta, tenellos
  Agnorum teſtes, vix cerebella, jecur,
Excoctaſq. capræ turgentes lacte papillas
  Maxillis lentis mandere, more bovis;
Vix olerum, Cereris pultem, Silarenſis orizæ,
  Et ſacri farris, coctaque poma queam.
Olla maritatur queis priſco more medullas,
  Oſsa bovis, ſumen, glandiolumq. Suis;
Cui milio nomen, ſcriblitam, quamque Renato
  Androtheo, tota mos vetus Urbe dari.
Gregorii dulces botulos, formaque priapi,
  Quos nullo prorſus crimine Verpus edat.
Veſtiniq. levi ſuſpiria pondere Clauſtri,
  Et panem, jactat cui dare nomen Iber:
Caſtaneas, imo qui glandes, allia, cæpas,
  Tam ſapido pani dat male nomen Iber.

Fur-

e Caria advectas quidam Brunduſii vendens, clamanſque Cauneas, quaſi diceret, cave ne eas, *Craſſum ab expeditione in Parthos deterrere videbatur*. Plut. *in Vita Craſſi*.

Furfureas Trani maſsas ex Urbe ſubactas
Defruto, arundineo melle, at amygdaleas.
Rogadeus Vati donabat utraſq. Butunto;
Hui rapuit magnum mors inopina Virum!
Leucophagum, gilvum, nigrum quoque, tecta papyro
Ovorum calami melle vitella lita.
Et tenui contectum albumen cortice, forma
Ovi etiam, divum nectare dulce magis.
Quæ duce nomen habent Butyro, vel præpete cæli
Aligero penna, carpia ſive pyra.
Cornua ne dicas; lapidoſa rubentia ſilvis
Corna, litos calami melle hiemis pepones;
Æstivum potabo, nec is jejunia franget,
Conſultum in promptu do tibi jure vadem (*a*).
Pyramus & Thisbe quæ tingunt ſanguine mora
Alba, albam Veneris ceu manus icta roſam.
Lenæi donum Patris uvam, ſorba, veneno
Noxia quæ patrio perſica poma ſolo.
Te ſileam delapſa polo molliſſima ficus,
Il-

(a) *Scilicet Joſephum Sorge, qui libello typis vulgato probavit, eos jejunium non frangere; dictus proinde a P. Caracciolo, in celebri ac pervulgata Satyra*, Patronus peponum.

Illacrymans, veſtem ſciſsa, retorta caput?
Vos ponti piſces, ſint ſepia, polypus extra,
Omnia cum digitis oſtrea cæruleis.
At ſapidus reſtet ſpinis armatus echinus,
Quo nulla eſt Vatis gratior eſca gulæ,
Candida decreſcit ſudo quum Cynthia cælo,
Diſsectoq. rubet pinguior orbe caro.
Dii Superi dentes ſaltem ſervate caninos,
Queis mordere malos, felle tumente, queam.

523638

AD LECTOREM

Quamvis maximam adhibuerim diligentiam, uti Libellus hic ſine mendis prodiret; fieri tamen haud potuit, quin multa irreperent, dormitante typographo, præſertim in notandis diphthongis; quum ſæpe æ ſubtituerit œ, & contra; quandoq. etiam, ubi nil opus, eas appinxerit. Ea quæ ſint, tute vides, cetera notatu digna ſic.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 8. Jachus	Jacchus
pag. 28. pete	petet
pag. 31. grafice	graphice
pag. 35. Methematici	Mathematici
pag. *66*. v. 14. *poſt* aerem *addendum*	eo relegabantur*
pag. 53. Methapyſica	Metaphyſica
pag. 58. num. XIII.	num. XIV.
pag. *63*. Oſmam	Oſmann.
pag. *65*. damnabat	damnaret
pag. 42. S. Stephanu	Constantin.

543638